UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, M.DC.LXXX.**

Dispvtatio III. De causis diuinæ Prædestinationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library

# DISPVTATIO III.

## *De cauſis diuinæ Prædeſtinationis.*

1. DIVINÆ prædeſtinationis cauſæ hac diſputatione examinandæ, indagandæ, atque ſtatuendæ (eo ſcilicet ſenſu, quo internorum Dei affectuum cauſæ locum in bona, ſanaque Theologia habent) ternario numero primaria diuiſione clauduntur, finalis, ſubiectiua, & efficiens. Subiectiua rurſus in ſubiectiuam ex parte actus, nimirum, cui actus ipſe internus prædeſtinationis diuinæ phyſicè identicè ineſt, ac pro imperfecto noſtro intelligendi modo, concipitur inhærere, atque in ſubiectiuam ex parte obiecti diſſecatur. Hæc autem ſubiectiua ex parte obiecti cauſa, nihil aliud eſt, quam rationalis creatura prædeſtinabilis, ſeu capax prædeſtinationis, atque, ſi de actu ſecundo loquamur prædeſtinata de facto à Deo: cauſa item prædeſtinationis efficiens ſubdiuiditur in cauſam efficientem elicitiue, & efficientem motiuè, quæ omnium Philoſophorum, Theologorum ſententia ad genus cauſæ efficientis ſaltem reductiuè ſpectat: quia abſoluta ſui exiſtentia vt cauſare abſolute poſſit opus habet: efficiens cauſa elicitiuè prædeſtinationis, vt & cuiuſvis actus, & operationis vitalis realis intentionis diuinæ, diuinam voluntatem, Deumque ipſum eſſe ſicut & cauſam materialem, & cui prædeſtinatio phyſicè identicè inſit ex prædicato actus vitalis, & operationis intentionalis diuinæ (cuius, vt talis idem eſſe debet, & efficiens elicitiuè, & ſubiectum) Deum etiam ipſum eſſe apertè conuincitur. Solum ergo de cauſa materiali obiectiuè, ſiue ſubiecto prædeſtinationis ex parte obiecti, atque de cauſa efficiente motiua ipſius poteſt eſſe controuerſia, dum de cauſis prædeſtinationis diſputatur.

2. Et circa prædeſtinationis obiectiuum ſubiectum in actu ſecundo eæ omnes creaturæ rationales ſunt, quæ à Deo prædeſtinatæ de facto ab æterno fuere, ſiue Angeli, ſiue homines beandi: cum eis omnibus efficacium auxiliorum, *Beneficia, quibus certiſſime liberentur, præſcierit, ac præparauerit Deus*, quod ipſum prædeſtinaſſe de facto illos eſt, iuxta eſſentialem prædeſtinationis definitionem. De ſubiecto autem prædeſtinationis ad gloriam per merita abſolute obtinendam, (vti omnes, qui ſunt prædeſtinati, tam ex Angelis, quam ex hominibus ad rationis vſum peruenturi prædeſtinati fuere in actu primo loquendo, ſiue de ſubiecto prædeſtinationis eiuſmodi capaci, certum etiam eſt rationales omnes creaturas quæ vocari à Deo congruè poſſunt, vt iuſtitiam, atque in ea perſeuerantiam, ac tandem gloriam obtineant, ſubiecta prædeſtinationis ex parte obiecti in actu primo eſſe. Dubium autem eſt, an ita rebellis creatura rationalis eſſe poſſit, reſpectu cuius nulla omnino congrua vocatio in Dei omnipotentia adſit, quia omnibus, & ſingulis ac proinde toti auxiliorum poſſibilium cumulo ſit reſtitura? Circa efficiens verò motiuum. prædeſtinationis diſputari poteſt, de meritoria eius cauſa, occaſione, conditione ſine qua prædeſtinatio non eſſet Rurſus de cauſa meritoria ex parte ipſius prædeſtinati, ſeu alterius; atque de meritoria cauſa, vel viribus naturæ, vel gratiæ, de conditione ex parte prædeſtinati apponibili, vel apponenda, vt prædeſtinetur.

# QVÆSTIO I.

## *An repugnet creatura abſolute imprædeſtinabilis à Deo?*

INquiritur de abſoluta repugnantia: moraliter enim ſaltem repugnare, concors etiam noſtrorum (apud quos ſolum quæſtio locum habere poteſt) Doctorum, & vera ſententia eſt. Pendet autem quæſtio (ni eadem ſit) ab ea: an repugnet creatura toti auxiliorum omnium poſſibilium coniuncto, ſeu collectioni reſtitura? Si enim ea non repugnet neque eius abſoluta imprædeſtinabilitas in ordinaria prædeſtinandi prouidentia, principiis noſtris (quæ prædeſtinationem omnem ſcientia conditionati conſenſus ſub auxilio aliquo regulari docet, nec præfinitiones etiam Soariſticas neceſſarias ad prædeſtinationem admittit) repugnabit.

---

# CERTAMEN I.

## *Ad pleniorem quæſtionis ſenſum notata, & placita Doctorum.*

1. SVpponendum eſt: voluntatem quantumvis rebellem, & ad peccandum obſtinatam, non ſolum in tota auxiliorum gratiæ poſſibilium collectione, ſed in quovis eorum habere ad non peccandum, & obſeruandum præceptum, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum ſit, quod inſtet, ſufficientem poteſtatem. Alioqui neque in præcepti obſeruatione mereretur, neque in tranſgreſſione peccaret contra id, quod quæſtio ſupponit. Siquidem obſeruare abſolute non poſſet, nec poſſet non tranſgredi: quare operis prohibiti omiſſio, præcepti autem appoſitio ex antecedenti neceſſitate oriundæ, non è libertate abſoluta neceſſaria ad moralem honeſtatem, & meritum, turpitudinemque, ac demeritum à voluntate altervtra ex illis foret. Ex quo conſtat quæſtionem hanc non eſſe, an poſſibilis ſit creatura de ſe ſe determinata antecedenter ad peccandum? Quæ in terminis, vt vidimus implicat: ſed an ſit poſſibilis creatura, quæ etſi natura ſua ad peccandum, cum quovis ſeu omnibus ac ſingulis auxiliis determinata non ſit: immo vero cum ſingulis non peccandi compos, & poteſtatis antecedentis ad peccandum vel non peccandum ſit; tamen de facto cum ſingulis, & omnibus pro praua ſuæ libertatis determinatione, & indifferentis poteſtatis ſuæ vſu, & quolibet ipſi dato ſit peccatura: quemadmodum, etſi cum auxilio inefficaci, & ſufficienti ſolum, voluntas Petri v.g. poſſit non peccare pro ſuæ libertatis abuſu de facto peccabit, ſi detur: ſi enim ita res habeat cum ſingulis & omnibus eius prædeſtinatio, quæ ſcientia conditionata regulanda in noſtris principiis eſt, erit impoſſibilis, atque creatura illa imprædeſtinabilis.

2. Inde notandum ſecundo eſt diſcrimen, vel ſummuliſtis, ſiue Dialecticæ candidatis notum, ſuppoſitionis terminorum confuſæ, & determinatæ: etenim ex eo, quod propoſitio vera in ſuppoſitione confuſa alicuius termini communis ſit non infertur in ſuppoſitione eiuſdem termini communis determinata veram aliam æquiſonantem fore v.g. *Alter oculus requiritur ad videndum; ergo hic oculus requiritur ad videndum vel hic oculus requiritur ad videndum* minimè infert; ſed hunc, vel illum requiri, vt ſuppoſitione eius termini confuſa ſignificabatur, vnde variatis termini ſuppoſitionibus præfati aſcenſus, deſcenſuſque inutiles ad inferendum ſunt;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſunt, aſcenſus inquam à negatiua propoſitione termini determinatè ſupponentis ad aliam termini ſupponentis confusè: alioqui ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis in argumento deſcenſus facti à ſuppoſitione confuſa ad determinatam conſequentia non teneret, vt tenere ex Ariſtotele & ſummuliſtis debet, deſcenſus autem affirmatiuus à confuſa ad determinatam non valet, vt vidimus. Contra verò aſcenſus à ſuppoſitione determinata ad confuſam affirmatiuus valet, verbi gratia, *Alter determinate oculus requiritur ad videndum hac viſione: ergo hic, vel ille requiritur ad hanc viſionem*: Quia ratione vnius de diſiuncto altervtrius verificari propoſitionem neceſſe eſt; atqui deſcenſus negatiuus à ſuppoſitione confuſa ad determinatam rectus etiam, & validæ conſequentiæ eſt, verbi gratia. *Neuter oculus requiritur ad hanc viſionem*, ab altero nimirum binarij alterius, vel ab vtroque eſſentialiter pendente: ergo *neque hic oculus requiritur, neque alter oculus requiritur ad illam*; Alioqui ab oppoſito conſequentis aſcenſus affirmatiuus factus à ſuppoſitione determinata ad confuſam non teneret.

3. Ex harum ſuppoſitionum diuerſitate declarata, altera ſimilium, diuerſi tamen generis ſuppoſitionum diuerſitas valde etiam ad præſentis quæſtionis intelligentiam, & deciſionem conducens explicanda eſt, qua æque faciles, atque fallaces pro affirmatiua ſententia paralogyſmi præcaueantur. Terminus quippe communis ſigno vniuerſali affectus dupliciter poteſt ſupponere: & diſtributiuè pro ſingulis termino illo communi ſignificatis, & collectiuè, ſeu pro coniuncto omnium, ſiue omnibus coniunctim acceptis, & in his etiam, quod de accepto coniunctim termino verificatur, verificari de omnibus ac ſingulis diſtributiuè ſumptis non eſt opus: nec de aliquo ſeorſim indiuiduo; neque, quod de omnibus, & ſingulis ſeorſim, & diſtributiuè negatur negari de coniuncto ex illis conflato neceſſe eſt: immo neque, quod affirmatur de eis diſtributiuè ſumptis de eis coniunctim, & collectiuè ſnmptis verificari debet, vt mille exemplis obuiis patet. Quare ex vna ad alteram ſuppoſitionem aſcenſu, & deſcenſu argumentari non licet; quin potius, quandoque verificatio alicuius prædicati de indiuiduo determinato, vel indiuiduis omnibus diſtributiuè ſumptis infert eiuſdem prædicati de omnibus ſimul falſificationem. Ecce omnis actus voluntatis diuinæ determinatè, & diſtributiuè ſumptus imperabilis à Deo eſt, implicat autem omnem eius actum coniunctim nullo excepto imperari: ſiquidem nulla eſſet in Deo libertas, & imperium primum, primum imperium (manifeſta contradictione) non eſſet. Hoc inquam notatum noſtram quæſtionem expedit: ſine quo in terminis videretur implicare. Suppoſuimus enim numero primo, omne auxilium gratiæ ad vitandum peccatum, & obediendum legi, ſiue præcipienti, ſiue prohibenti, ad peccandum, poteſtatem liberam voluntati relinquere, cui coniungi cum legis tranſgreſſione, & peccato proinde non repugnet; cum autem id reſpectu omnium, & ſingulorum verum ſit, potentia peccandi omnibus, & ſingulis poſitis videtur ſupponi; cui ſubinde ſuppoſito repugnet voluntatem aliquam omnibus auxiliis, & ſingulis non poſſe abſolutè reſiſtere, vt nonnulli negantis ſententiæ concedunt: quibus abſque hoc notato, locus præſenti quæſtioni, & negatiuæ ſententiæ non videtur patere. Patet autem ampliſſimus hac ſuppoſitionum diuerſitate de omni auxilio diſtributiuè, & de omni auxilio coniunctim accepto, vt ex dictis conſtat, ampliuſque ex dicendis patebit.

4. His præmiſſis noſtrates, non admodum antiqui, Doctores, vt iam memorando Dominicanorum contra efficaciam auxiliorum ab extrinſeco noſtro conſenſu argumento expeditius occurrant, aſſerunt: non repugnare rationalem creaturam omnibus, & ſingulis auxiliis gratiæ ad non peccandum, & honeſtè operandum etiam coniunctim ſumptis, reſtituram, ſi darentur, & à Deo proinde abſolutè imprædeſtinabilem: quare, & hoc quod ex noſtra de auxiliorum efficacia opinione, tanquam rem abſurdiſſimam deducere Dominicani contendunt, nihil abſurdi continere. In hanc ſententiam viſus eſt inclinare Soarius libro tertio de auxiliis capite 14. numero 16. eius ſequacibus prælucens. Eam vero ex inſtituto docuerunt noſtri etiam Herize prima parte, d. 22. numero 18. Arriaga prima parte, d. 35. ſectione prima, numero quinto, & in manuſcriptis plures Recentiores, in quibus ſæpe à nobis impugnati Complutenſes, qui aliquam ex eis exiſtere foreve exituram negant. Alij vero eius ſententiæ aſſeclæ de exiſtentibus, exituris, & præteritis nihil certo definiri poſſe arbitrantur: & ſic quidem veroſimilius ex ea ſententia philoſophantur. Admiſſa enim eius creaturæ rationalis poſſibilitate, cum ex eo genere aliquam condere, vel nullam ad diuinorum decretorum arcana pertineat res puræ diuinationis eſt altervtrum aſſerere & quod Dei reuelatione, & prophetia (quæ de neutro hactenus eſt) egeat, vt non ineptè alterum aſſeratur. Scio Recentiores in negatiuam ſententiam de præteritis, præſentibus, & futuris metu locorum ſcripturæ, & Patrum, quæ pro negatiua ſententia de eiuſmodi rationalis creaturæ poſſibilitate ab eius Patronis circumferuntur actos fuiſſe, vt ea de factis à Deo, & faciendis explicent; nullo tamen operæ pretio, vt iam ex dicendis clarebit.

5. Oppoſita vero ſententia negans creaturam rationalem toti auxiliorum omnium poſſibilium collectioni, & coniuncto reſtituram, ſi donentur, ac ſubinde abſolute à Deo imprædeſtinabilem eſſe poſſibilem, verior, ſecuriorque longe eſt: eam quidem contra noſtram de efficacia auxiliorum ab extrinſeco ſententiam, vt dogmaticam ſupponunt Dominicani omnes (quaſi eiuſmodi noſtra ſententia, in oppoſitum errorem cogamur) ea prope modum tranſcribentes, quæ noſtræ de efficacia auxiliorum ad id inferendum præſcripſit eximius noſter Doctor Soarius, vbi proxime. Verum affirmantem ſententiam, vt minus certe vera ſit, aſt ſua probabilitate non carere, proculque ab errore eſſe, & noſtrorum qui eam defendunt authoritas & diſcurſus ſatis oſtendunt. Eidem negatiuæ ſententiæ eiſdemque fundamentis adhærent Franciſcani pauci à ſua Scotica Schola, vt alias oſtendimus deficientes: qui, etſi cum Scotiſtis reliquis auxiliorum efficaciam in phyſica prædeterminatione poni execrentur; tamen in Dei antecedente omne libertatis noſtræ exercitium præfinitione collocant, neque à noſtræ voluntatis vſu libero deſumi poſſe arbitrantur: idque ex eo, quod, alias, rationalis creatura à Deo abſolutè imprædeſtinabilis eſſe poſſet, in primis, mutuato etiam ex Soario noſtro diſcurſu, confirmant, omnium argumentorum contra phyſicam prædeterminationem, quam mordicus negant difficultatibus (vel ipſis inſuperabilibus) ſe vltro immiſcentes; immo eidem Dominicanorum de auxiliorum efficacia ſententiæ. Hi ſiquidem tandem non in nuda phyſica prædeterminatione, ſed, vt coniuncta cum diuina præfinitione collocant de noſtro conſenſu. His vero circa efficaciam auxiliorum ſententiis ablegatis, negatiuam in re præſenti ſententiam tenent Soarius citato loco, vbi, etſi in vtramque anceps, in hanc tandem propenſior inclinat; indubius vero eam determinate tuetur tom. 2. de gratia cap. 24. numero 18. Didacus Ruiz de Montoya tom. de prouidentia d. 6. & 7. per totas, & d. 11. ſect. 4. numero 9. & d. 39. de prædeſtinatione per totam: Ægid. Koninx libro primo de actibus ſupernaturalibus d. 2. dubio 7. numero 98. & 112. Vbi eam ſententiam noſtrorum omnium eſſe ait, qui homines prædeſtinari ad gloriam, vt coronam, ante præuiſa abſolutè merita defendunt, ſequuntur, & ingenioſi in manuſcriptis Recentiores.

CERTA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CERTAMEN II.

### *Noſtra hæc negatiua ſententia ab authoritate Scripturæ, & Patrum firmiſſimè fundatur.*

1. OBuia ſunt, tam apud Dominicanos, quam apud noſtros, præcipuè apud eruditiſſimum Ruiz, Scripturæ, & Patrum teſtimonia· quibus negans noſtra ſententia ſtatuitur: quia tamen omnia tædet tranſcribere, ponam, quæ ſatis ſuperque ad eam ſuadendam ſint ſelectiora, notans vbi reliqua legi poſſint Prouerb. primo. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Vbi Regis corde, ſcilicet potentiſſimi, maximeque ſui iuris, & poteſtatis inter reliquos homines, & ſuo libito obſtinatè addictiſſimi, & effrenis, & exemplo cuiuſvis creaturæ obſtinatiſſimæ, & rebellis voluntatem ſignificat à Deo abſolute pro ſua voluntate flexibilem, nec mediorum omnium, ſeu auxiliorum poſſibilium collectioni reſtituram: quare nullam à Deo abſolute imprædeſtinabilem eſſe: inde friget aduerſariorum Recentium euaſio: nempe, eius loci ſententiam ad exiſtentes, præteritas, & exituras rationales creaturas reſtringentium: in qua etiam interprætatione, & ineptæ diuinationis plurimum eſt, cum ſine fundamento nullam rationalem creaturam ex illis à Deo rebellis eorum ſententia poſſibilibus creatam fuiſſe, aut fore creandam ſtatuatur, & à Patrum, qui indefinitè, ac proinde vniuerſim de omni creatura rationali, nulla excepta eam ſententiam intelligunt, interpretatione aperta diſſentio. Tertiò ratione à Patribus pro ea ſententia ſtatuenda ſubiunctæ è Dominio Dei in rationales creaturas earumque opera petuntur, quæ ſane de nulla earum, vel de omnibus probant, cum nulla earum Dominium Dei valeat ſubterfugere. Quartò idem ſuadet exemplum; quo Salomon eam ſententiam explicitam voluit, de aquarum diuiſione in eam quam voluerit Agricola partem: inquit enim, *ſicut diuiſiones aquarum ita cor Regis*, qui nimirum, ſicut dirigenti, & diuidenti aquæ, ne hac, vel illac eas deducat reſiſtere nequeunt, nec Dei voluntati poteſt reſiſtere: eo tantum excepto, quod Agricolæ aquæ neque antecedenter reſiſtere valent; cor autem, ſeu rationalis voluntas conſequenter ſolum reſiſtere nequit; poſſunt autem antecedenter ſi ipſi libertatis iura ſeruentur: & hanc quidem poteſtatem Dei, qua eos, quos voluerit ad nutum parere Deus faciet quantumvis rebelles Chriſtus Dominus illa cœnæ nuptiarum parabola expreſſit, verbis hiſce Luc. 14. *Compelle eos intrare huc*: Quare ex vtroque teſtimonio ſententiam noſtram deducunt Patres innumeri recitati à noſtro Ruiz locis proxime datis. Monitum tamen lectorem velim his, & iam ſubiiciendis ſcripturæ Patrum, & Scholaſticorum teſtimoniis noſtrum Ruis citatis locis, & aliis præfinitionum diuinarum erga noſtros liberos actus ſcientiæ conditionatæ innitentium poſſibilitatem, & erga eorum plures exiſtentiam probare, id quod nullatenus ex illis deducitur, ſed ſolum media illi ad certam conſecutionem, reſpectu cuiuſvis rationalis creaturæ ſupereſſe: quare nullam abſolutè ab ipſo imprædeſtinabilem eſſe poſſe, quod ſolum in præſentiarum diſputamus.

2. Tertius locus eſto Ioanne 5. *Spiritus vbi vult ſpirat*: Quo exemplo Spiritus Sancti poteſtas ad regenerandos pro ſua miſericordia per gratiam, & iuſtificationem homines quoſcunque aptiſſime explicatur. Etenim, ſicut ventis omne ſpatium, locuſque patet, vt illac perfluet, ita, & Spiritus Sancti inſpirationibus rationalis quæque creatura: vt Patres, & Commentatores ibi. Huic ſententiæ conſonat alia Ioannis 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ita Filius, quos vult, iuſtificat.* At nullus mortuus eſſe poteſt à Patre abſolute inſuſcitabilis: ergo nec peccator à Filio per ſuam gratiam abſolute inconuertibilis, & iniuſtificabilis, ſubinde neque abſolutè imprædeſtinabilis. Quartum teſtimonium ſit S. Matthæi 3. *Potens eſt autem Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Vbi lapidum nomine duriſſimam quanque voluntatem creatam, & cor ſaxeum intellexit, docuitque Dominus Dei gratia emolliri, atque in Abrahæ filium per fidem, & gloriam euehi illud poſſe. Alludit autem locus iſte repetitæ ſententiæ ab Ezechiel. capite vndecimo. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*, & capite 36. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Poteſt autem præſtare, quod promiſit, etiam duriſſimis, & præſtitit. Quintus locus eſt ex Lucæ 18. vbi præ Dominicæ contra huius ſæculi diuites ſententiæ admiratione rogantibus, *Quis poteſt ſaluus fieri?* Reſpondit Dominus. *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.* Ergo citius, quæ poſſibilia apud homines ſunt, erunt poſſibilia apud Deum: atqui nulla eſt creaturæ obſtinatio poſſibilis, quæ ab illa auxiliis gratiæ præuenta auferat antecedentem bene operandi poteſtatem: ergo, nec quæ à Deo auferat liberam antecedentem poteſtatem faciendi per auxilia gratiæ ſuæ, vt creatura quævis rationalis bene operetur. Sextus locus è plurimis ſcripturæ teſtimoniis deſumitur, in quibus voluntati Dei à nemine reſiſti poſſe expreſſe traditur. Ad hæc Euangelij loca vide Patres plures apud Ruiz citatis locis, & compendioſius, ac facilius apud Catenam auream Sancti Thomæ. Geneſ. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Vbi, de liberis fratrum actionibus prauis, & voluntate Dei ſolummodo permiſſiua, nedum intentiua, & prædeſtinatiua, eſt ſermo Iudith. 16. numero 17. *Tibi ſeruiat omnis creatura: quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti Spiritum Sanctum tuum, & creata ſunt; & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.* Quibus continetur argumentum Chryſoſtomi mox referendum. Eſther 13. *Domine Domine Rex Omnipotens: in ditione enim tua vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Multa autem libere facienda à Rege erant vt Iſraël ſaluaretur: & neque in eis qui Dei voluntati reſiſtat eſſe poſſe ait, ac Patres de vniuſcuiuſque ſalute eam repetunt ſententiam. Poſſet autem Dei poteſtati, & voluntati ſaluum illam faciendi creatura aliqua ex poſſibilibus, qui omnium mediorum & auxiliorum gratiæ ad eius ſalutem intentum obtinendam eſſet reſtitura.

↝ 3. Septimus locus ex 9. ad Rom. *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere quidem aliud vas in honorem aliud in contumeliam?* Ad quæ Petrus Diaconus de Incarnatione, & gratia capite 7. *Alios ſaluat gratuito dono; alios derelinquit iuſto iudicio qui poteſtatem habet ex eadem maſſa facere*, & cætera, & infra: *Miſerebor cuius miſerebor.* Et ſane ſi locus iſte quoad exemplum adhibitum de hominum prædeſtinatione gratuitæ Dei voluntati poſſibili ſit de Angelorum etiam prædeſtinatione, qui plus quam ſpecie ab hominibus exiſtentibus, immò, & poſſibilibus differunt, & eſt & ob identitatem rationis probat: quare citius non de exiſtentibus ſolum ſedet de poſſibilibus hominibus, & creaturis rationalibus ob rationis etiam identitatem probabit. Et ſane eorum verborum hebraiſmus nulla prædeſtinati præ reprobo habita ratione præ ſolo Dei nutu prædeſtinandum ſignificat, quod vulgata Exodi 33. Vnde deſumptus à Paulo locus eſt, magis expreſſit. *Miſerebor cui voluero: & clemens ero in quem mihi placuerit*: nullo meæ voluntati ſubſtracto, aut miſericordiæ incapace. Concludit autem Paulus. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:* Cum ergo reſpectu rationalis creaturæ prædeſtinationem Dei gratuitum donum eſſe ex his locis dogmaticè colligatur: nec poſſit gratuitum donum eſſe, niſi donanti poſſibile ſit, prædeſtinationis

cuiuſvis creaturæ poſſibilitas, atque adeò coniunĉto auxiliorum gratiæ aliquod neceſſario Deo eſſe, cui ſaltem vnaquæque reſtitutura non ſit, videtur dogmaticè etiam aſſerendum. Ruſus tota prædeſtinandi ratio in Dei miſericordem voluntatem reducenda, eſt ex his locis, ac ſubinde in eius voluntatis omiſſionem prædeſtinationis negatio: at reſpectu rebellis tuæ creaturæ in eius incapacitatem, non autem in voluntatis illius, erga illam impoſſibilis, omiſſionem reduci poteſt. Tertio pende illud etiam Pauli, *Cuius vult miſeretur*, vbi electio ſubiecti, cuius miſereri velit, per ampla Deo tribuitur nulla rationali creatura excepta: quare nulla eſt, cuius miſereri prædeſtinatiuè Deus nequeat.

4. Octauus locus ex 2. ad Corinth. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* Cui conſonat alter ad Epheſ. *Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Hæc porrò de exiſtentibus præteritis, & futuris de facto intelligi vetat. Primum: quod eadem via, qua de poſſibilibus aliquibus de aliquibus, quæ, vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt, negari poterunt: cum non conſtet, cuiuſnam generis & duritiei abſolute exiſtentia ſint condita omnia, vel condenda quod ſi incertum eſſe hoc dicas: & ſcripturæ teſtimonia incertæ (quod hæreticum eſt) veritatis erunt. Secundo: quia de omnium obſtinatiſſimo Pharaone Rege, qui extitit, dictum eſt Exod. 9. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Quin ad fortitudinis, & potentiæ ſuæ oſtenſionem naturæ Pharaonis obſtinationi, & duritici de ſuo ob durationem adiunxit. *Ego indurabo cor Pharaonis*, quod ſic non duriſſimis, & maximè rebellibus poſſibilium voluntatibus hominem elegiſſet inanis eſſet, ac vana potentiæ, ac fortitudinis ſuæ oſtentatio: non ſecus ac ſi quis homo, vt omnium fortiſſimum, & validiſſimum ſe oſtenderet, ſingulare certamen, non cum vno ex robuſtiſſimis viro, ſed cum aliquo ex communibus, vel non à Deo robuſtis homine iniret. Tertiò rationes eius ſententiæ in eis teſtimoniis aſſignatæ ſunt, Dei omnipotentia, & dominium in creaturas omnes, etiam rationales, quæ nulla rationalis creatura poteſt ſubterfugere. Hæc ſemel ſummatim ad euaſiones ſimiles teſtimoniis ſequentibus Patrum præcludendas dicta volumus. Rectè igitur Gamaliel. Actor. 5. Iudæis diſcipulos perſequentibus dicebat. *Quoniam, ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: Si vero ex Deo eſt non poteritis diſſoluere illud*: Etſi rebellibus fidei voluntatibus deterrentia ab illa mala in illos depluant omnia.

5. Vulgata ſatis ad rem præſentem eſt illa Hieronymi Apoſtatæ Iuliano ſuperfacili, ac ſubita Sancti Matthæi ad Diſcipulum è Telonio à Chriſto Domino attractione reſpondentis ſententia. *Dominus omnium creaturarum*, (nec tantum earum, quæ ſunt quod ſatis ad harum attractionem præ ſuo nutu erat) *Ad ſe trahere poterat quos volebat.* Celeſtinus Papa, epiſtola ſecunda, ad Epiſcopos Galliæ capite ſecundo. *Deſperat de Clementia Dei qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento*, (nedum toto vitæ ſpatio, atque aliqua ex innumeris occaſione) *poſſe non credit*: Vti aduerſarij non credunt. Magnus Baſilius apud Petrum Diaconum de Incarnatione, & gratia Ieſu Chriſti capite octauo. Hanc Eccleſiæ totius Græcæ orationem refert. *Malos, quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerua: omnia enim poteſt. Quem enim* (nullo vtique excepto) *volueris ſaluas, & non eſt qui reſiſtat tibi.* Ecce rationem, & ſententiam verbatim etiam orationis Mardochæi citato capite 13. Eſther. S. Ambroſius libro ſeptimo, capite tertio, in Lucam. *Dominus quos dignatur vocat. Si voluiſſet ex indeuotis deuotos feciſſet: Dominus quos dignatur vocat* (ſub. inferius) *& quem vult Religioſum facit.* Omnium luculentiſſime Sanctus Chryſoſtomus Iudith argumentum memoratum huic ſententiæ adiunxit his verbis Homilia 2. in Pſalmo 50. columna 5. *Si Deus dixerit adultero: iam nolo, vt adulter ſis; verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori: ceſſa ab immunditia tua: illico mens eius in melius mutatur: & vt ſcias, quia ita eſt, dixit, fiat cœlum: & factum eſt cœlum; præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtra completum eſt cœlum: Sol, & Luna præcepto eius conſumant curſum ſuum: volo fieri Angelos, & in puncto horæ tot millia facta ſunt. Et, qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult ſermone ſuo, tua peccata non valet ſoluere, & poſt pœnitentiam in Angelicum conſtituere gradum? &c. Si Deus voluerit nullus impediet.* Pende cœlum, terram, aſtra, &c. è poſſibilitate vocata, vt Dei voluntati obſequerentur: quare, & quamvis rationalem creaturam è poſſibilitate etiam vocatam Dei voluntati, vt ſaluetur de facto, obſecuturam: quia ipſi media, quibus obſequatur, & per quæ abſolutè prædeſtinetur minimè deerunt Cyrill. Hierſolymit. fin. præfat. ad Catecheſ. *Potens eſt Deus qui nouit corda veſtra & ſcit quis ſit verus, qui vero ſimulator germanum quidem ſuum ſeruare: hypocritam vero fidelem efficere ſi modo cor illi præbuerit.* Ipſe Deus & Catecheſ. 16. pluribus gratiæ effectibus enumeratis poſt medium concludit. *Reſpice magnum hunc Præſulem, & gratiarum Parochum* (Diſpenſatorem) *Deum: quomodo in vniuerſo mundo alij quidem caſtitatem, alij ſtudium paupertatis, &c. tribuit.* Prudentius in Hamartigenia poſt med. vniuerſim canit.

*Inuitone aliquis potis eſt, peccare Tonante;*
*Cui facile eſt in corde hominis componere ſenſus*
*Quos libeat, fibraſque omnes animare pudicis*
*Pulſibus, & totum venis infundere honeſtum?*

## CERTAMEN III.

### *Sanctus Auguſtinus cum Aſſeclis Patribus pro eadem ſtat, certatque ſententia.*

1. OMnium verò luculentiſſimè, & frequentiſſimè in hanc ſcripſit ſententiam virtutis gratiæ Dei Encomiaſter eximius Auguſtinus, & in primis recitatam Magiſtri ſui Ambroſij ſententiam, non ſemel, ſed bis, laudat, & vſurpat: videlicet de bono perſeuerantiæ capite 19. & 1. de gratia Ieſu Chriſti capite 46. exclamans. *O cenſura hominis Dei ex ipſo hauſta fonte gratiæ Dei*: De correptione, & gratia capite 14. ſub initium. *Deo volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Inferiuſculè. *De ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit.* De bono perſeuerentiæ capite octauo. *Poſſibile eſt Deo auerſas, & aduerſas in fidem ſuam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduerſitatibus cedant, neque ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant.* 11. de Geneſ. ad litteram capite 10. de perditiſſimis etiam reprobis ait. *Poſſet ipſorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam Omnipotens eſt? poſſet plane* (non autem à Deo plane poſſet in aduerſantium ſententia, cum, an, ex illis à Deo rebellibus creaturis eorum aliqui fuerint, necne? planum non ſit) *Cur ergo non fecerit? quia noluit, cur non voluerit penes ipſum eſt Deum.* Non erit autem penes ipſum nolle conuertere creaturam illam nullo auxilio conuertendam, ſed penes ipſam, libro de gratia, & libero arbitrio capite 14. *Rectiſſime credimus etiam peruerſas, & fidei contrarias voluntates Omnipotentem Deum poſſe conuertere*, & cætera: *Sed, niſi poſſet Deus etiam duritiem cordis auferre, non diceret, auferam ab eis cor lapideum, & dabo*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*dabo eis cor carneum*, capite 97. Enchirid. *Vbi eſt illa omnipotentia, qua in cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, ſi colligere filios Hieruſalem voluit, & non fecit? An potius, & ea filios ſuos ab ipſo colligi noluit? ſed ea nolente filios eius collegit ipſe, quos voluit*, &c. Poſt reliqua vero concludit. *Quis enim, tam impie deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit eos bonum non poſſe conuertere?* Vbi præter claritatem ſententiæ illius, *Tam impie deſipiat*, profunditatem expende: impietas enim debitæ Deo, eiuſque potentiæ, & veritati obſeruantiæ aduerſatur: inſipientia vero, ſiue (vt ſic loquar) deſipientia, non, niſi rationis luminis euidentiæ naturali repugnans error eſt: ergo euidens naturæ, & rationis lumine eſt, nec ſolum dogmatice, & ex fide certum, Deum potuiſſe conuertere omnes, & ſingulos filios Hieruſalem, qui de facto extiterunt (eos etiam, quos non conuertit, quantumuis duriſſimos, & rebelles) ſi eos etiam conuertere voluiſſet. Atqui id nequit eſſe naturæ lumine euidens, niſi omnes, & ſingulos ex poſſibilibus poſſet conuertere de facto, & conuerteret, ſi vellet: ergo nemo eſt ex poſſibilibus, qui omnibus coniunctim auxiliis reſiſteret, ſi Deus illum conuertere per illa vellet: ac ſubinde nemo eſt poſſibilis, quem Deus abſolute prædeſtinare non poſſet: ſubſumptum patet; reliqua enim inoffenſè peruia rationi ſunt. Etenim, ſi non omnes, & ſingulos è poſſibilibus poſſet de facto conuertere, & conuerteret, ſi vellet Deus: cum incertum, naturæ ſaltem lumine, ſit, an ex his, vel ex mollioribus fuerint Filij Hieruſalem, qui de facto extiterunt, hos omnes conuertendos eſſe pro Dei incarnati voluntate naturæ, lumine euidens eſſe nequit: Siquidem ſi ex illis duriſſimis aliqui extiterint (quod incertum naturæ lumine, immo, & abſolute etiam, per aduerſarios plures, & prudentiores eſt) omnes pro Dei voluntate conuertendos fuiſſe repugnat.

2. Huic eidem ſententiæ inſiſtit de bono perſeuerantiæ, cap 14. poſt initium adſonat ſcribens. *In maſſa perditionis Tyrios, & Sydonios fuiſſe relictos, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent.* Poſiti autem à Chriſto ſunt in obſtinatorum exemplum, & duritiei Iudæorum exprobrationem. De his autem etiam præ Tyriis, & Sydoniis obſtinatis, & duriſſimis ſubdit inferius. *Nec iſtis obfuiſſet, quod non poterant credere* (conſequenti nimirum impotentia) *ſi ita prædeſtinati eſſent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Et libro primo ad Simplician. quæſtione ſecunda. *Cum ergo alius ſic, alius vero ſic moueatur ad fidem: eademque res ſæpe vno modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat: vnum moueat, alium non moueat: quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſaii mentem ad fidem applicaret.* Et inferius: *Quis dicat modum, quo ei perſuaderetur, vt crederet, Omnipotenti Deo defuiſſe?* Vnde infert: *Nullius Deus fruſtra miſeretur: cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Atque infra. *Non poteſt effectus miſericordiæ eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit.* Hoc ſane, & nos fatemur, & aduerſarij negant. Subditque rationem: *quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet vt mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Cum ipſi infinita pene ſuppetant vocationum media, quæ variet, & eligat, in quibus non vnum tantum erit, quod quantumvis duro congruat, annuatque, nec reſiſtat vocatus: de prædeſtinatione Sanctorum ſub med. *Et, ſi illos quibus ſtultitia eſt verbum Crucis vt ad Chriſtum venirent docere voluiſſet, procul dubio venirent, & ipſi. Non enim fallit, aut fallitur, qui ait: omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me:* de correptione & gratia, capite 12. ſub fin. *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur. Et ideo, quamvis infirma, non deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur:* & cap. 6. med. & 8. ſub init. *quid moliturus es contra verba dicentis* (ô Pelagiane) *Rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret fides Petri defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, quaſi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Chriſtus rogaſſet, vt vellet? Sed, quia præparatur voluntas à Domino; ideo pro illo non poſſet eſſe inanis oratio:* In aduerſariorum vero ſententia, & moliri aliquid contra illa verba poſſent, & audere, etiam poſita Chriſti oratione, dicere fidem defecturam ob Petri rebellem voluntatem, quæ contra ſcripturæ ſententiam ex qua rationem Auguſtinus vniuerſalem Petro applicuit, præparari à Deo minime poſſet. Eandem doctrinam confirmat de corrept. & grat. capite 14. poſt med. duplici exemplo. Altero 1. Reg. 10. *Abiit cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda, filij vero Belial.* &c. ad quæ inquit, *Nunquid aliquis dicturus eſt, non iturum fuiſſe cum Saül quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, vt irent cum illo, aut iiſſe aliquem peſtilentium, quorum, vt hoc facerent, corda non tetigit?* Alterum ex 1. Paralyp. 12. *Spiritus Domini induit Abiſai principem inter triginta, & dixit: tui ſumus Dauid, & tecum futuri filij Ieſſe*, &c. Ad quæ ſic Auguſtin. *Nunquid ille poſſet aduerſari voluntati Dei, & non potius facere eius voluntatem, qui in eius corde operatus eſt per Spiritum ſuum, quo indutus eſt, vt hoc vellet, diceret, & faceret?*

3. Dies nos, & Chartæ deficient, ſi reliqua Auguſtini in hanc noſtram, & ſuam ſententiam teſtimonia recitemus; idcircò iuratorum Diſcipulorum eius nonnulla referre ſatis ſit, vt ſententiam hanc de eius non verbis ſolum, ſed mente fuiſſe probetur. Proſper 1. de vocation. gent. capite vltimo. *Quantumlibet impiorum malignitas accuſetur reſiſtens gratiæ Dei: Nunquid probabitur eam, quibus eſt collata meruiſſe?* Ecce collatam, ac proinde à Deo quantumvis malignæ, & reſiſtiuæ, voluntati fatetur: *aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi, quos voluit ſubdidit, conuertère eos, qui inconuertibiles permanſere, non potuit?* Epiſtola de libero arbitrio ad Ruff. poſt med. *An dicendum eſt voluntati Dei humanas obſiſtere voluntates? &, tam feros, tamque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant: quia prædicationi impio corda non pateant? & quis iſtis corda mutauit, niſi, qui finxit ſigillatim corda eorum;* Pende vniuerſalem propoſitionem voluntati Dei humanam non obſiſtere, eiuſque rationem extremis verbis datam: quod, ſcilicet, Deus eius conditor, & ſubinde Dominus ſit. Ad excerpta Genuenſ. reſponſ. 8. poſt med. *Manifeſtiſſime ſcimus, non ſolum Tyrios, & Sydonios, ſed etiam Corozain, & Bethſaidam potuiſſe conuerti, & fideles ex infidelibus fuiſſe, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari.* Quod præter alia Chriſti verba illis probat. *Nemo nouit filium, niſi Pater, & cui voluerit filius reuelare: & ſicut Pater viuificat mortuos, ita & Filius, quos vult viuificat.* Cir. epiſtola ad Ruffinum circa med. id 1. ad Coloſſ. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.* Pendens ait. *Hoc tanto, & tam ineffabili bono nemo inuentus eſt dignus: ſicut dicit Apoſtolus*, &c. Fulgent. 1. ad Monim. capite 8. med. & cap. 9. id ad Epheſ. 1. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus:* ſic expendit; *ſicut ergo præparata eſt per prædeſtinationem voluntas, qua bonum velimus: ſic etiam opera bona præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Etſi ergo de ſe voluntas parata ad bonum non ſit, ſed potius obſtinatiſſimè ad malum, tam ea, quam bonum eius opus præparari à Deo poteſt, ita, vt ad illud non apta ſolum, ſed nata videretur, noua ſui per gratiam quaſi creatione: quod Paulus aptiſſimè, & profundiſſime ſignificauit voce illa; *creati*, & fine capitis, & capite 14. circa medium. *Hoc homini gratuita iuſtificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædeſtinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem ſuperius ſanctæ ſcripturæ teſtimonio demonſtraui, quo dictum eſt: præparatur voluntas à Domino. Ab ipſo ergo voluntas præparatur, qui in nobis, & velle, & perficere miſericorditer operatur.*

4. De Incarnatione, & grat. Ieſu Chriſti capite 31. ſub finem. *Sola Dei voluntas humanæ ſaluationis eſt*





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cauſa : ira enim in indignatione eius , & vita in voluntate eius , ira igitur eius noſtræ iniquitatis eſt meritum , vita vero noſtræ voluntatis eius eſt donum : ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos , & viuificat, eoſdem autem viuificari vult , quos vult ſaluari : ſic ergo , quos vult ſaluat, quemadmodum, quos vult , viuificat : Nihil enim voluit, & non fecit,* & c.19.poſt med.ex 2.Corint.4. *Deus,qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere illuxit in cordibus noſtris,* Oſtendit nullam adeo auerſam , & aduerſam bono eſſe poſſe voluntatem,quam Deus,qui è ſummè repugnantibus luci tenebris ſplendorem vocauit , & fecit , in bonum flectere nequeat : legatur etiam c.28. & 29. in eandem ſcribens ſententiam. Petrus Diacon. de Incarnat.& grat.Ieſu Chriſti c.7. & 8. ſæpè vniuerſim docet Deum potuiſſe omnes homines ſaluos de facto facere.Si voluiſſet, & id ipſum ſæpius docet gloſ.toto c.9. ad Rom.maxime verſu. *Quid adhuc quæritur,* vbi inquit. *Talis erit vnuſquiſque,qualem vult Deus eſſe.* Anſelm.& ipſe,ſi quis alius Auguſtinianus doctrina, Commentar. epiſt.ad Rom. c.9. ad id. *Ante quam aliquid egiſſent boni,aut mali, &c.* ait. *Non enim dicit Apoſtolus electionem voluntatis humanæ , vel naturæ ; compar enim eſſet in vtroque mortis damnationiſque conditio , ſed electionem procul dubio gratiæ &c.* Vbi non ſolum opera præſuppoſita ad Dei electionem excludit , ſed & naturam , quæ in aduerſantium ſententia ſupponenda eſt , non ex illis , quas adeo rebelles admittunt , vt eligi per gratiam nequeant.

---

## CERTAMEN IV.

### *Pro eadem ſententia Patres interpretes, & Scholaſtici reliqui.*

1. AD duo demum ſcripturæ loca frequentes in hanc ſententiam Patres veniunt. Alter eſt compulſionis,ſeu coactionis,quam Deus creatis voluntatibus etiam obſtinatiſſimis poſſe facere , & feciſſe quandoque ( ſalua tamen earum libertate) dicitur Lucæ 14. *Exi in vias & ſepes , & compelle intrare vt impleatur domus mea.* Et Exod.11. Pharaonem ad dimittendum populum compulit , immò , vt miſeræ ſeruituti inhærentem , & cunctabundum , ac recuſantem Ægypto exire ipſe compelleret. *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum & poſt hæc dimittet vos,& exire compellet,* & mille aliis frequentibus ſacræ paginæ exemplis , quibus in oppoſitum propenſiſſimis , etiam obſtinato , voluntatibus,vti Pharaonis , & aliorum , nihilque minus volentibus , immo nihil magis de ſuo nolentibus eo Dei diſpoſitiua voluntas, quo vult , ſiue internis inſpirationibus , ſiue externorum malorum terroribus de facto deducit. Quin ita cum nobis omnibus agi orat Eccleſia Dominica 4. poſt Pentecoſt.illis verbis. *Adde noſtras , etiam rebelles, compelle propitius voluntates.* De quo latè Ruiz noſter de prouid.d.7. per totam,in cuius tertia ſect. egregiè expendit exempla Hieremiæ,qui c.20.aiebat. *factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium,& in deriſum tota die & dixi ; non recordabor eius, nec loquar vltra in nomine illius, & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſq; in oſſibus meis , & defeci , ferre non ſuſtinens,* & Pauli 1. Corint.9. *Si euangelizauero non eſt mihi gloria : neceſſitas enim mihi incumbit* , & Actor.17. *Incitabatur ſpiritus eius in ipſo* (Paulo ) *videns idololatriæ deditam ciuitatem.* Vtrumque adnotarunt ad Hierem. locum Theodor. *Hoc* ( inquit ) *ipſum accidit Paulo , dum tacitus expectaret* , & Hieron. *Conceptus enim ſermo diuinus,nec ore prolatus ardet in pectore.* Nec minus ad fidem à Iudaïſmo viſione & voce illa Actor.9. *Saule Saule quid me perſequeris ? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Compulſus Paulus fuit, quam conuerſus ad Euangelizandum compellebatur : cum autem eis,ſimilibuſque Dei inſpirationibus,& terroribus vehementibus, quibus ſæpè ad id,quod vult , compellere, & neceſſitate quodammodo voluntatibus noſtris afferre dicitur , nullatenus abſoluta eis,& antecedens neceſſitas libertati earum aduerſa inducitur,ſcite enim Bernard.de grat.& lib.arbit.longè à medio. *Quantoſcunque compellere vel trahere videatur ad ſalutem benignus Pater, qui omnes vult ſaluos fieri , nullum tamen iudicat ſalute dignum,quem ante non probauerit voluntarium,* Cuius eam rationem dedit : *Cum terret, aut percutit , vt faciat voluntarios , non vt ſaluet inuitos : quatenus dum de malo mutat in bonum , transferat , non auferat libertatem.*

2. Compulſionis ergo nomine, & vehemens inclinatio voluntatis in id , quod Deus vult,& coniunctio de facto ſic inclinatæ voluntatis cum illo,quod de ſe obſtinatiſſimè auerſabatur,ac proinde ſubſequens,ſeu conſequens eius neceſſitas oſtenditur. Cum autem ea compulſio non ſolum obſtinatiſſimis , & omnium duriſſimis , Pharaoni, Hieremiæ,& Paulo, & aliis fuerit indicta, ſed omnigenæ ſortis , & conditionis hominibus ad nuptiarum cœnam Luc.14.vocatis,manifeſtè conuincitur eiuſmodi vim,quæ, ſalua eius libertate,voluntatem realem quamvis, etſi obſtinatiſſimam , & duriſſimam cum conſenſu , quem ipſe velit , infallibiliter coniungat Deo minimè deficere : ac ſubinde nullam,adhuc poſſibilibus, eſſe diuinæ prædeſtinationis incapacem.Præclarus in huiuſmodi compulſione diuina perditiſſimarum voluntatum explicanda fuit. S. Bonauent.in 2.d.25.p,2.a.vn.q.5. corpore ſic fatus, *Tunc autem voluntas mutatur , quando ipſa volente vnum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrariũ,& de volente fit nolens : ita,quod vna affectio expellitur,& contraria inducitur:ſicut patet,cum Deus de amatore temporaliũ, facit temporaliũ contemptorem,& hæc dicitur eſſe quædam compulſio & ratio diuina.* Legendi ſuper ea compulſione ſunt ad eum locum Theophylact. & Euthym. Titius Boſtrenſ.t.1.Bibliot.Caſſian.collat.13.Chremonis c.18. ante med.Origen.in 25.c. Numerorum homil, 20. col.penult. gloſ.ordin. vbi ad id Rom.9. *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ,*ait. *Notandum : quod quibuſdam nec gratiam apponit,cum aliis infert eam quaſi coactis.* Eandem demum diuinæ inſpirationis vim,& efficaciam in quoſcunque auerſiſſimos cum effectu coniunctam obſeruauit Cyrill. 5. in Ioan. c.12. ſub initium in illo Miniſtrorum ad Pontifices reſponſo Ioan.7. *nunquam ſic locutus eſt homo* , ita illud ponderans. *Verba eius animos vigore ſuo penetrant,feriunt intima cordis : & , vel inuitos , ad alta de eo cogitanda pertrahunt.*

3. Alter ſcripturæ locus,ad quem Patres frequentes noſtram ſententiam trahunt eſt Prouerb.8. *Præparatur voluntas à Domino* : & c.21. init. *Dirigit corda Dominus ſeu præparat corda Dominus* ( vt ex 70. legunt Theodor. annotationibus ad eorum verſionem ) ſcilicet , quaſi non rebelli cordi gratia ſua iuuamen præſtet tantum , ſed nouam quoad inclinationem in bonum , paret operarus,vt creati in operibus bonis à Deo proinde dicantur à Paulo ſupra ponderato. Audi de hac præparatione , & præuentione voluntatis creatæ per Dei gratiam Gelaſium Papam tom.de anathem.vinculo poſt med. *Non per ipſorum propriam emendationem, ſuoque intellectu, vel motu, ſuaque virtute , vel poſſibilitate conuerſi ſunt,vt ſanentur , ſed per gratiam Dei ſanati ſunt vt conuerterentur.* At ſi molliorem voluntatem,quam in illa rebelliſſima aduerſariorum creatura Dei gratia , vt creaturas conuertat, earum virtutem,& poſſibilitatem expectaret , ſuo intellectu,virtute, & poſſibilitate, qui conuertuntur , conuerterentur. Concil. Arauſican.2. Can.23. *Quando homines ita faciunt, quod volunt,vt diuinæ ſeruiant voluntati : quamvis volentes agant quod volunt ; illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur , & obitur , quod volunt.* Gregor. lib.11.Moral.cap.5. poſt med. *Sicut nemo obſiſtit largitati vocantis , ita, &c.* obſiſteret autem rebellis illa veſtra creatura , cap.6. poſt init. *Si Sancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem prædicantis infunditur , ſtatim terra ſubuertitur , quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis ſuæ obſtinatione permutatur.* Nihil ergo Dei potentiæ illa immobilitas, & obſtinatio creaturæ illius poteſt officere , quominus mutari à Deo per illam abſolutè queat. Cyrill. 11. in Ioan. c. 21. ad id Ioan.17. *Cum eſſem cum eis ego ſeruabam eos : & nemo ex eis periit niſi , &c.* hæc ait. *Quod ſeruare poteſt , quos velit, longe à natura creaturarum abeſt.* Non abeſſet autem longè à natura creaturarum,ſi mitior earum,molliorque natura,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

natura,quam veſtræ illius,attendenda ſit, vt Deus creaturam ſaluare,& ſeruare valeat.

4. Nyſſen.orat.5. in Cant,poſt init.ad id, *Surge veni,* exclamat. *O vim mandati huius! Reapſe Dei vox eſt, vox poteſtatis: quemadmodum in Pſalmorum libro dicitur: Ecce dabit vocem ſuam: quæ vox poteſtatis eſt, ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. En etiam modo prolatis adiacentem verbis hiſce, ſurge ac veni, mox è mandato fit opus ipſum: ſimul enim, atque vim, poteſtatemque ſermonis illa recepit, exurgit, atque aſſiſtit ei.* Cyprian.epiſt 3. ad Cornel.alias 55.verſ. med. *Plantationem plantatam à Deo Patre non eſſe quos videmus, non frumenti ſtabilitate ſolidari; ſed tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari.* De quibus Ioan. in epiſtola ſua (prima ſcilicet cap. 2.) dixit: *ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis.* Plantata vero à Deo non erat, ne, qui ſic plantati, vt tandem deficerent ex nobis, id eſt electis non erant, atque à Deo exierunt, nec permanſerunt, quia non erant ſecundum propoſitum, & prædeſtinationem voluntatis diuinæ, vt aiunt Auguſt. de bono perſeuerantiæ c.8. fine: ac ſæpius,pluresque alij Patres apud Ruiz noſtrum cit. d. 6. de prouid. ſect.3.& 4. Cum autem ea vnica, & totalis ratio, cur deficiant à Patribus aſſignetur: immò, & cur poſſint deficere,voluntatis creatæ durities procul dubio ab eiſdem rejicitur, vt ob eam Dei propoſitum præualere nequeat. Eadem doctrina communiter traditur à Patribus ad ea ſcripturæ loca, in quibus vocatio efficax ad Dei dona ſortis nomine explicatur, vt Matthiæ ad Apoſtolatum Actor.1. *Cecidit ſors ſuper Matthiam,* & ad fidem, virtutem, & ſalutem Pſalm.15 *Funes* (id eſt ſortes, vt Auguſtinus ibi) *ceciderunt mihi in præclaris.* Chaldæ. *Sortes ceciderunt mihi in dulcedine*, & ſequenti verſu ſortis eius materiam explicans ait. *Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi: benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*; & Pſalm.30. *In manibus ſuis ſortes meæ*, vt ſalus, & æterna hæreditas non caſu & fortuna, ſed Dei voluntate, & arbitrio, tam ipſi, quam electis reliquis obtigiſſe dicat, vt Eccleſ.17. *deſtinauit illis ſortem veritatis*, idcirco in veteri lege Dei voluntas ſortibus explorabatur. Ioſue 18. 19. vnde Prouerb. 16. *ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Indéque in noua Chriſti lege, vt Actor.1. *Et dederunt eis ſortes*: iuxta quam vocis acceptionem Paulus ad Epheſ.1. *In quo, & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum voluntatis eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Et ad Coloſſ. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.* Et Petrus Simoni Mago Actor.8. *Non eſt tibi pars neque ſors in fide hac*,& c.26. *Vt accipiant remiſſionem peccatorum,& ſortem inter Sanctos.*

5. Hinc ſors apud Patres pro prædeſtinatione diuina vſurpatur. Hieronym. Commentar. Prouerb. vulgo Bedæ attributo, ad cap. 18. fin. *Sors*, inquit, *eſt occulta, & incomprehenſibilis prædeſtinatio ex diuina regula procedens quæ inter potentes (hoc eſt electos) dum ſingulis propria aſſignat, dijudicat.* Conſonat Ambroſ. lib.4. epiſt.16.ad Irenæum longè ab initio,& Proſper epiſtol.ad Ruffin. circa med. ad locum recitatum ex 1. ad Coloſſ. dicebat. *Hoc tanto, & tam ineffabili dono nemo inuentus eſt dignus; ſed quicunque electus eſt à Deo factus eſt dignus.* Et Auguſtinus ad locum Pſalmi 30. *Sortes dixit, (quantum ego exiſtimo) gratiam,qua ſaluati ſumus: quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? quia in ſorte non eſt electio,ſed voluntas Dei. Nam vbi dicitur iſte facit; iſte non facit; merita conſiderantur,& vbi merita conſiderantur electio eſt,non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit ſorte voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit; non quia digni fuimus. Hæc eſt ſors.* Porro hæc, & alia plura è ſortis nomine,quo Dei prædeſtinatio in ſcriptura ſignificatur, eo præſertim fine dicta à Patribus ſunt, vt merita noſtra, ſiue naturæ viribus Dei electioni, & prædeſtinationi præire(vt Pelagiani, aut Semipelagiani aſſerebant) prorſus rejicerent: verum & incapacitatem creaturæ, vt à Deo prædeſtinetur confutant: ſiquidem non omnino liberum, & in poteſtate Dei abſolutè erit hanc creaturam præ incapaci illa prædeſtinare,cum hanc prædeſtinari repugnet: quare nec ſortem illi præ hac deſtinare. Confirmatur: quia in hac ſententia,etſi non abſolutis demeritis, ac propriè demeritiuè conditionatis tamen, hæc incapax prædeſtinationis creatura, ſeù capaci alia diſcernit: atque à prædeſtinationis ſorte excludit, vt arguunt Dominicani: quibus, niſi ex capacitate prædeſtinationis,& ſortis creaturæ omnis rationalis,ſatisfieri nequit. Tertio: quia ſors hæc in manu Dei,ſeu beneplacito Dei tota eſt: ac proinde ad eas omnes creaturas rationales extenditur, ad quas Dei extenditur poteſtas & voluntas: atqui harum quævis ad omnes poſſibiles creaturas rationales extenditur, ne curta, limitata, Deoque indigna ſit: ergo omnibus hiſce poteſt euenire. Quarto: quia huic ſorti exiſtentes omnes creaturæ rationales, ſuo quæque tempore, ſubiacent: ergo,& poſſibiles: nullo quippe titulo potiori, aliæ aliis poſſunt ſubiacere: dies carthæque nos deficerent (vt de Auguſt. dicebam) Patrum ad rem hanc teſtimonia recitantes, ſed data ſufficiant,

6. Ex Scholaſticis Deum quamvis rationalem creaturam nulla excepta,etiam obſtinatiſſima, conuertere, & prædeſtinare poſſe,quin vlla ſit, reſpectu cuius medium, aliquod ſaltem,quo de facto conuertatur, & ſaluetur Dei potentiæ,& voluntati non ſubſit docent Alexand. 2.part. quæſt.74. m.7. & 3.p.q.70.m.4. S.Bonauentura recitatus n.8.S.Thom.in cap.9.ad Rom ad id. *An non habet poteſtatem figulus, &c.* in & c.11. ad id. *Sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt,* 1.p.q.111.art.1.corp.indefinitè quare & vniuerſim ait. *Solus Deus efficaciter poteſt mouere voluntatem creatam*, & q.23.art.5. & 1.2.quæſt 112.art.2.ad 2. quæſt.113. art.7. corp.& de veritate quæſt.22.art.8.corpor.& ad arg.art.9. corpor. & fin. ſolutionis argumentor. præclariſſimè vero quæſt.6.de veritate art.3.corp.poſt med. vbi exemplo perpetuitatis ſpecierum conſtantis, cum indiuiduorum cuiuſque corruptibilitate, quia ex diuina prouidentia loco deficientis alterum ſpeciei eiuſdem perpetuo ſuccedit, certitudinem, & infallibilitatem diuinæ prædeſtinationis cum creatæ voluntatis contingentia, & poteſtate deficiendi ita conciliat. *Hoc modo eſt in prædeſtinatione: liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute: tamen in eo,quem Deus prædeſtinat,tot alia adminicula præparat, quod, vel non cadat; vel ſi cadat, quod reſurgat: ſicut exhortationem, & ſuffragia orationum, donum gratiæ,& alia huiuſmodi.* Quibus ad cumulum auxiliorum, & iuuaminum creatæ voluntatis, quem Deus in ſua continet omnipotentia, apertè recurrit. Eius hac in re ſententiam (etſi ex eis Recentiores,non eius ſed diuerſis,vt dixi certam.1. & aduerſis principiis)Dominicani omnes ſectantur. Ægydius in 2.d.25.quæſt.1 art 3. ad argum. dubij lateralis, §. *Aduertendum.* Argent.quæſt.vn. art.4. med. Richardus art.4.q.2.corp.& ad argum. Item in 1.d.40.a.3.q.3. d.47. art.vn.q.1.corp.& ad 2.S.Antonin.1.part.tit.4. cap.2.§.9. Conrad.1.2.q.36.a.vlt.corpor.fine. Supponit Okam in 1. d.41.q.vn.poſt med.vbi etiam Gabriel art.1.concl.1.& in terminis idem Gabriel cit d.25.q.vn.a.3. dub.1.propoſ.2. Nicolaus de Orbellis ea d.fi.Maior in 1.d.1.q.vn.circa finem Richard.Iap. a.7. contra Lutherum valde ante med. p.301.& proprius ad med p.812. med. Dicedo de redemptione generis humani tract 2.part.1.conſid.1.fin. & 1.de grat.& lib.arbitr.ac ſæpius vtrobique. Adde ſacros omnes interpretes ad citata ſcripturæ loca. *Cor Regis in manu Domini: & compelle eos intrare.* Cuius compulſionis vim his apprimè explicuit Abulenſis Ioſuë 11. q.81. circa med. *Interdum gratia pulſatiua ita fortis,vt homines velut inuitos extrahat: & tunc,quicunque pulſatus ab illa mouebitur.* Quod ſtatim exemplo adhibito ſic illuſtrat, & confirmat. *Quemadmodum amatores interdum ita vehementi incitantur amore, vt magis furere quam amare videantur.* Et qu. 82. docet etiam obduratos homines eiuſmodi gratia infallibiliter ad bonum rapiendos: ſimiliter ad hæc,& cætera recitata ſcripturæ loca commentatores reliqui loquuntur: quorum verba tranſcribere prolixum eſſet & otioſum. Conſtet ergo auxilia efficacia (in quocunque eorum efficacia conſiſtat) reſpectu omnium, & ſingularum rationalium creaturarum, etiam poſſibilium, Deo non deeſſe: quare eas omnes, & ſingulas diuinæ prædeſtinationis eſſe capaces, ita eſſe Patribus, & Doctoribus,tam expoſitiuis, quam Scholaſticis communem,vt ab ea abſque ſingularitatis, vt minimum, nota receſſus non liceat: maximè cum oppoſitæ aſſerendæ nulla ab eius Patronis, quæ Patres, & Doctores latuerit ratio



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

efficax
ſcrip
cuſ
b

…afferatur; quin potius Patrum, & Doctorum, imò & …uræ pro noſtra ſententia rationes attactæ inconc…e perſiſtant, vt deinceps quæſtione præſenti monſtra…mus.

---

## CERTAMEN V.

### *A ratione eadem ſententia probatur, & aſſeritur.*

1. PRimum præcipuumque pro hac ſententia locum habent rationes à Patribus, & ſcripturæ recitatis teſtimoniis propoſitæ ex prædicatis, ſeu attributis diuinis, omnipotentiæ, & dominij diuini. Prima eſt: De conceptu Omnipotentiæ diuinæ eſt cuiuſvis creaturæ rationalis conuerſionem fidem, atque ſalutem meritoriè per eas obtinendam, eſſe in manu Dei. Atqui creaturæ reſpectu cuius nullum auxilium efficax, & congruum, & cui ipſa conſenſura ſit, ſi donetur, in Dei Omnipotentia claudatur, nec fides, nec conuerſio, nec ſalus per eas obtinenda erit in manu Dei: ergò, ſi eiuſmodi creatura eſſe poſſet, Deus non eſſet Omnipotens, quod prorſus repugnat: ergo eiuſmodi creatura eſt impoſſibilis. Maior eſt expreſſa ſcripturæ & Patrum recitatorum, & reliquorum omnium quos breuitatis cauſa recitare omiſimus. Et probatur naturali ratione in ea propoſitione imbibita. De conceptu Omnipotentis eſt eſſe in ſua manu plene, atque expedite ponere auferreve abſolutè à rebus, quidquid in eis poni abſolutè, auferrive ab eis poteſt: aſt cuiuſvis creaturæ rationalis fides, conuerſi, &c. ac per eas ſalus, poni in rebus ab eiſque auferri abſolute poteſt, ſiquidem ſupernaturali auxilio quævis creatura rationalis credere, conuerti, atque ita ſaluari abſolutè poteſt. Ergo de conceptu omnipotentis eſt ea omnia in rebus ponere, ab eiſque auferre plenè, & expeditè abſolutè poſſe. Secundo de conceptu omnipotentis eſt nullum alium plus, magiſve poſſe circa aliquid poſſibile, quam poſſit ipſe; ſed, ni Deus habeat in manu ſua plene, expedite & abſolute fidem, & conuerſionem, & ſalutem per illas, alicui creaturæ rationali abſolute poſſibilem, creatura illa plus, magiſque abſolute potens erga illa poſſibilia erit, quam Deus. Ergo Deus, ni omnis creaturæ rationalis fidem, conuerſionem, ſalutemque per illas, ipſis abſolute poſſibilem plene expedite, & abſolutè in ſua manu habeat, non erit omnipotens. Poſtremi huius Syllogiſmi ſuadetur minor: quia ea poſſibilia plene abſolute, & expedite ponere, aufferréve poſſet creatura illa auxilio ſufficienti inſtructa, in manuque ſua abſolute haberet; non autem haberet Deus, qui in ſua Omnipotentia auxilium, cui conſenſura illa eſſet, ac reſpectu illius congruum non haberet, plene autem expeditéque poſſe abſolutè aliquid ponere, vel auferre, plus, magiſque erga illud poſſe eſt quam non poſſe plene, & expedite illud ponere, vel auferre.

2. Syllogiſmi primi minor probatur, vt aliquid abſolutè in manu alicuius ſit, eius abſoluta poſitio, vel ablatio penes ipſum eſſe debet, ita, vt volente, facientéque ipſo, quantum ex ſe, ſuaque voluntate, & poteſtate velle, & agere poteſt, ſenſu aliquo vero non poſſit non id, quod in eius manu eſt abſolutè non eſſe, nec alterius obſiſtentia, & renitentia de facto impediri: vt ex Patrum datis teſtimoniis patet, ex terminiſque fere: quod enim me prorſus nolente, & quantum poſſum in oppoſitum conante alterius voluntate abſolutè, vel ponitur, vel aufertur, meæ poteſtatis atque in mea manu abſolute non eſt, ſed potius in manu, & poteſtate alterius. At ſi rebellis à Deo creatura admittatur, reſpectu cuius nullum prorſus in Dei potentia claudatur auxilium efficax, congruaque, & habitura effectum vocatio ad fidem conuerſionem, & meritum æternæ ſalutis, volente facienteque Deo quantum poteſt, omni vero ſenſu poteſtatis, etiam conſequentis, poterunt abſolute non eſſe, atque ab illius creaturæ rebellis voluntate, & poteſtate obſiſtentia & renitentia de facto impediri: imò, & neceſſario, neceſſitate conſequente impedientur, ne ſint: ergo ea creatura à Deo rebelli admiſſa præfatæ operationes ipſius, & æternæ ſalutis merita in Dei manu, & poteſtate Dei, vt in ea minore aſſumebamus non erunt. Nec præſtat, ſi dicas poteſtatem creaturæ illius antecedentem ad fidem conuerſionem, ac meritum ſalutis æternæ eſt ex auxilio ſupernaturali gratiæ Dei, quæ in manu, & poteſtate Dei eſt, non autem creaturæ illius: quare in manu, & poteſtate Dei tribuentis auxilio gratiæ ſuæ abſolutam poteſtatem creaturæ illi ad eas operationes, ratione cuius ipſa in manu eius creaturæ ſunt, eas ipſas operationes eſſe ac dici debere. Etenim, licet ex ea ratione recte inferatur in manu, & poteſtate Dei eſſe phyſicam illius voluntatis creatæ poteſtatem, quæ, & voluntatis productione, & auxilij ſupernaturalis ſufficientis ad eas operationes illius adæquate conſtituitur; aſt operationes illæ determinatæ potius, quam eis aduerſæ, quas æque, & poteſtas diſiunctim reſpicit, ea poteſtatis donatione præciſè in manu Dei non ſunt. Cum ea ipſa determinatior vlterior creaturæ ad illas potius, quam aduerſas, expectetur, quæ non aliter penes Deum eſſe, donarique ab ipſo creaturæ illi poſſint, niſi, quatenus auxilia ſupernaturalia, quibus antecedentem creaturæ ad bene operandum poteſtatem complet, ex ſcientiæ mediæ futuræ operationis ſub illis determinate auxilia donat, ac ſubinde operationem ipſam æquiualenter donare merito æſtimatur, vt ſapienter Auguſtinus, reliquique Patres, & Concilia aiunt in radice *congruæ vocationis*. Cum autem reſpectu rebellis illius creaturæ ſub nullo auxilio eius fides conuerſio, &c. ſint conditionate futura; quare, nec de eis ſcientia media eſſe poſſit: nec eas in rebus abſolutè ponere, atque illi auxilij ſupernaturalis, quod ſufficiens ſolum eſſe valet, donatione conferre in Dei manu, & poteſtate eſſe poterit; etſi eius auxilij donatione in manu ipſius ſit conferre illi ad eas operationes abſolutam poteſtatem.

3. Ex vniuerſali etiam Dei Dominio in creata omnia poſſibilia, etiam quæ nondum ſunt, ex quo ea, quæ non ſunt, æque, atque ea, quæ ſunt vocare poteſt, immo vnde ea omnia, quæ ſunt vt eſſent vocauit, eodem robore probatur concluſio. Etenim ex infinitate è genere ſuo Dominij Dei, quod extrinſecè creata (etſi non intrinſecè reſpciat) concernit, vt de omnipotentia diximus, ad omnia omninò poſſibilia Dominium diuinum extendi debet, eo præciſè quod in ſeipſis poſſibilia ſint, & non repugnent, ita vt ſi minutulæ vnius entitatulæ (nedum perfectæ à Deo ſupernaturalis operationis fidei, conuerſionis) &c. poſſibilis dominium, & potentia non eſſet diuinum dominium, & potentiam, ſiue omnipotentiam eſſe repugnaret: cum autem eo ipſo quod Dominium diuinum ſit ſuperius longe, ac definitè ſuperius & maius creato quovis dominio circa res omnes, & ſingulas creatas poſſibiles eſſe debeat, nullam creaturam rationalem ſuarum etiam operationum æque, nedum magis, Dominam quam, Deus ſit, eſſe poſſe. Inde dogmata illa Theologica Auguſtini Patrum, & Conciliorum ortum habent. *Deum in nobis facere, non ſolum, vt poſſimus, ſed etiam, vt velimus, & facere, vt faciamus.* Non æque ſolum ac nos, ſed magis ac longè principalius: ac proinde voluntates noſtras liberas. *Magis in Dei manu, & poteſtate, quam in noſtra eſſe*, ac ſimilia alia, quæ omnia, rebelli illa creatura rationali non repugnante, ſed admiſſa poſſibili, vera eſſe non poſſunt: ergo rebellis adeo rationalis creatura omnibus, & ſingulis gratiæ Dei auxiliis reſtitura, nec conſenſura ſi à Deo donarentur, ac proinde reſpectu cuius nullum omnino auxilium efficax, congruave vocatio, ſed ſufficiens ſolummodo eſſe poſſit prorſus repugnat. Quod autem eiuſmodi creatura non repugnante ea omnia Theologica dogmata: nulla tenus vera eſſe poſſent, ſed eſſent neceſſario falſa, probatur: quo enim pacto operationes illæ fidei, conuerſionis, &c. creaturæ illius magis, ac principalius ſub Dei dominium quam ſub dominium creaturæ illius caderent, atque eſſent? cum poſito ſemel à Deo auxilio ſufficienti ſupernaturali, quo phyſicum eius in ſuos actus dominium, & poteſtas indifferens completur, & conſtituitur, quodque ſolum poni à Deo poteſt, operationes illas ponere, vel non ponere in manu, & poteſtate craturæ illius ſolummodo eſt, non autem poteſtate, & manu Dei: quo iſto

per

per pacto facere poteſt Deus, non ſolum, vt poſſit creatura illa, ſed *vt velit, & faciat*, ſi poteſtatem ſolam ad eas operationes, vel eis aduerſas indifferentem, & indeterminatam conferre, facereque Deus ipſi poteſt, quia vlterius, vt determinate eas velit, ac faciat poſſit facere? nec in donatione auxilij, quo eam ipſi fecit poteſtatem determinate operationes illas, atque earum determinatas voluntates dare interpretatiuè, virtualiter, atque in radice congruæ vocationis (vt Patres aiunt) poſſit æſtimari, quia eas determinatè potius, quam ipſis oppoſitas voluntates, & operationes ſub auxiliis ab ipſo donatis, vel aliquo abſolutè donatu poſſibili fore conditionatè prænouit? ſed nec dominium vllum Dei erga eas operationes creaturæ illius abſolute tale (nedum maius, & principalius, quam ſit creaturæ illius in ipſis) ſiue phyſicum, ſiue politicum, & quaſi ciuile poteſt defendi: ſiquidem dominium, vt ſit, alter vtrum coercens, facultas vtendi re in omnem eius vſum pro Domini libito quovis alio renitente abſque iuris alterius illius ſiue phyſici, ſiue politici quaſi ciuilis præiudicio, & plena facultas eſt rebellis autem creaturæ illius poſſibilitate ac non repugnantia admiſſa præ eius renitentia earum operationum, imò & creaturæ illius ad eas determinatas operationes vſus Deo eſt impoſſibilis.

4. Tertio probatur concluſio ex oratione, qua quivis homo, quantumvis obſtinatæ duræ, ac rebellis voluntatis pro ſua conuerſione orare, non licite ſolum, ſed vtiliter, & fructuosè poteſt, atque eum cum ſpe orare Deum honeſtiſſime poſſumus, debemuſque hortari: immò, & Eccleſia firmiſſima, certiſſimaque fide, quod eam præcibus ſuis obtinere à Deo poſſit pro obſtinatiſſimis, ac peruicacibus Iudæis, Hæreticis, & Paganis orat, conſequique de facto fiducialiter ſperat. Atque ex ſcriptura, authenticiſque Eccleſiaſticis hiſtoriis conſtat, obſtinatiſſimum infenſiſſimumque fidei hoſtem Paulum à Deo conuerſum, atque Eccleſiæ, & Stephani, precibus eidem Eccleſiæ atque Apoſtolatui donatum, atque alios quam plures ad pœnitentiam atque eximiam ſanctitatem Dei gratia perductos. Confirmatur: quia nemo eſt adeo rudis, ac barbari genij, adeòque prauis moribus aſſuetus, aut erroribus obſcuratus, qui tamen Deum eſſe fateatur, & nihilominus ſe à Deo conuerti ad meliorem frugi poſſe: imò, & conuertendum, ſi Deus velit, non credat: ſiquidem cum ſtupidiſſimos gentium omnium, & obſtinatiſſimos Mahometanos, dum falſo ſuo Prophetæ, atque irrationali ſuæ legi renuntiare, atque Chriſti fidem, & legem ſectari hortamur & rationibus vrgemus, ac pene conſtringimus, nullum promptius, frequentiuſque ab eis reſponſum audimus, quam nondum velle Deum, vt ſectam ſuam abiurent abiuraturoſque, atque in Chriſtum credituros, cum Deus volet. Et ſane cum eius rebellis à Deo creaturæ non repugnantia, & poſſibilitate admiſſa, eius generis aliquas non eſſe de facto à Deo productas, in rerumque natura abſolutè poſitas; ſed omnes generis illius intra puræ poſſibilitatis carcerem manere concluſas non conſtet, magna duris hominibus, genioque, vel conſuetudine praua in malum propenſis, & obſtinatis, an ex eius generis creaturis eſſent, qui conuerti à Deo de facto nequeant dubitandi ratio, ac ſubinde non omninò irrationaliter deſperandi occaſio præberetur: quare iure ea de eiuſmodi creaturæ poſſibilitate opinatio, vtpote Dei omnipotentiæ, ſupremoque Dominio iniuria communi inſuper, non Chriſtianæ ſolum Eccleſiæ, ſed omnium hominum ſententiæ, fideique, & ſpei noſtræ aduerſa eliminanda prorſus eſt: vltima probatio omnibus ſententiæ noſtræ Doctoribus communis à confutatione vnici fundamenti ſententiæ aduerſæ petenda eſt: eam mox proponemus, & perſequemur oſtendentes cum eius creaturæ repugnantia conſtare rationalium omnium, & ſingularum creaturarum libertatem: præſtat modo peculiarem nec à Patribus tactam Recentiorum aliquot, quibus noſter præiuit Ruiz, concluſionis noſtræ, & communis probationem examinare.

## CERTAMEN VI.

### *Peculiares probationes Recentiorum examinantur.*

1. EA vero probatio ſumitur ex ſeria intentione, & voluntate diuina generali de omnium hominum ſalute per eorum libera opera, & merita ab ipſis de facto obtinenda à Paulo aſſerta 1. ad Timot. cap. 2. atque à nobis, vt dogmatica ſtatuta controu. 4. d. 6. quæſt. 1. ac frequenter controuerſiis ſequentibus ſuppoſita. Supponit autem inſuper probatio ad hanc ſeriam generalem ſalutis omnium hominum voluntatem, & intentionem concipiendam Deum nulla ſcientia media dirigi, ac ſubinde nullatenus à futuritione conditionata noſtri operis, & merita ſub auxilio gratiæ Deique vocatione futuri: vnde neque eiuſmodi ſeriam voluntatem, & intentionem ſalutis vllatenus poſſe pendere, aut impediri, ne à Deo conciperetur, & fuerit, vt penderet impedirique poſſet, ſi ſcientia aliqua media dirigeretur, vt de prædeſtinatione diximus. Hoc etiam in ſcholæ noſtræ principiis certum eſt, ac vero, & indubitato ſupponendum. Hinc infertur per ſcientiam neceſſariam, ac ſimplicis prorſus intelligentiæ habere Deum quidquid ſcientiæ opus eſt, vt generalem illam veram intentionem, ſeriamque ſalutis omnium voluntatem concipiat. Inde pergunt: At nulla alia ſufficiens ad eam voluntatem concipiendam ſufficientia ſimplicis intelligentiæ neceſſaria, ac prorſus à noſtræ libertatis exercitio independens Deo adeſſe poteſt, niſi ſcientia, qua omnipotentia ſua contineri ſaltem aliquod auxilium, cui conſenſurus de facto ſit quivis ex omnibus homo, ſi donaretur, cognoſcat; etſi pro eo ſigno, quodnam illud determinate ſit non repræſentetur: id autem pugnat cum non repugnantia ſeu poſſibilitate rebellis à Deo creaturæ rationalis illius omnibus, & ſingulis auxiliis Dei de facto reſtituræ, ſi donentur: ergo ea rationalis creatura repugnat. Minor probatur: quia ea creatura non repugnante, aliquis ex omnibus homo, immò, & plures eſſe poſſunt, reſpectu quorum nullum congruum auxilium in omnipotentia, & dominio Dei claudatur: quare ex neceſſaria ſcientia comprehenſiua omnipotentiæ, & dominij diuini etiam quoad extrinſecos terminos, & obiecta omnia ipſorum obiectiua veritas illa quod omnis homo alicui auxilio adhuc indeterminatè, & vage huic, vel illi exclauſis in omnipotentiæ virtute, Deique dominio ſubiectis ſit conſenſurus. Probant maiorem: quia vero intentio, ac deſiderium, ſeriaque, atque ardens, tametſi inefficax, voluntas, (cuiuſmodi de omnium hominum ſalute in Deo à Paulo Patribus & Catholicis Theologis aſſeritur) de eo concipi, haberique prudenter (ac Deo ſubinde digne) ab illo ſolummodo poteſt, qui illud in manu, & poteſtate ſua habeat, atque habere præuideat, & nouerit. Nequit autem Deus ſcientia alia neceſſaria, & pure ſimplicis intelligentiæ, quam deſignata in maiori illa propoſitione, ſalutem omnium ſerio, à ſe intentam, & ardenter deſideratam in manu, & poteſtate eſſe ſua prænoſſe: ergo ſola illa poteſt illam veram intentionem, ardenſque deſiderium, & ſeriam voluntatem ſalutis omnium ſufficienter præcedere. Maior proxima probatur: quis enim ſerio, etſi inefficaciter niſi per imprudentiam, deſideret, quod aſſequi in ſua manu, & poteſtate non habeat habereve neſciat? ac inſuper perpetuo in deſideriis maneat, quin ſibi, ac deſiderio ſuo ſatisfacere ſe, ac de ſe poſſe cognoſcat, & cuius ſatisfactionem ab alio ſolum ſperare, & procurare poſſit? Confirmatur: quia nequit Deus deſiderare, verè, & ſerio vt ſit chimæra. Secundò: nec poteſt inefficaciter deſiderare, vt non ſit aliquid neceſſarium: immò nec de eius exiſtentia, ſiue de eo, quod ſit diſplicere: Ergo nec deſiderare adhuc inefficaciter vt ſit aliquid ſibi impoſſibile. Demum per aduerſarios Deo volenti ſerio inefficaciter ſalutem hominis reſtituri neceſſarium non eſt quod in eius manu plenè expediteque ſit,

atque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tque eſſe Deus ſciat illius ſalutem: ergo eſt contingens. Patet: quia, quod neceſſarium non eſt, contingens ſt, iuxta regulas ſummuliſtis Dialecticis notas de modai um contradictoriis aſſignandis: certè, ſi contingens, poſſibileque abſolutè eſt, ex eius euentu de facto nil abſurdi, aut inconuenientis debet inferri: inferretur autem hominem ſolum, cuius conſenſus in manu, & poteſtate ſua ſolummodo eſſet, non autem Dei, ſuperbe iactari poſſe ſe ſolum poſſe Dei deſiderio ſerio de facto ſatisfacere, non autem ipſum Deum: item, & deſiderium illud Dei ſerium fruſtraneum per totam æternitatem reddere: quod diſſonum plane videtur, & abſurdum.

3. Miſſa impugnata acili ſolutione, quàm ſibi adhibent Recentiores, in hoc argumento, & confirmationibus parum, tam ab authoritate Theologica, quam à ratione roboris video. Ab authoritate Theologica: quia frustrabilitatem, & conſenſus defectum intentionis veræ ac ſeriæ voluntat s de reprobi ſalute non ex ſolo abuſu, & rauo vſu auxilij ſufficientis pro eius ſolius libito, arbi.rioque libero ipſius, ſed Dei etiam contra ſtatam Theologiam eæ omnes probationes probant, ſiquid probant. Cum certum apud Theologos omnes ſit ex parte Dei ſalutem reprobi vere ſerio, & ardenter intendentis conſenſus, & conuerſionis defectum eſſe non poſſe, ſed ex parte reprobi ipſius tantummodo: cui Deus, ex quacunque demum ſcientia ſalutem inefficaciter, etſi adeo vere ſerio, & ardenter intendat, ac velit, ac de mediis ſufficientibus ad conuerſionem perſeuerantiam, & ſalutis conſequutionem prouideat, eorum liberum vſum plene permittit; quin ea intentione, & mediorum ſufficientium prouidentia poſita conſenſus, conuerſioniſque de facto reprobi, atque aſſequutionis gloriæ per illam in manu, & poteſtate plena, & expedita Dei vlterius ſit, ſed penes liberam reprobi ſolummodo voluntatem. Hic autem ea omnia abſurda à Recentioribus illata, æque inueniuntur, & currunt, ſi ea ſint abſurda cenſenda. Nec præſtat reſpectu reproborum alicui ſaltem ex poſſibilibus conſenſurorum conuertendorumque, ſi donarentur plenam abſolutamque eſſe in Deo poteſtatem eiuſque ſcientiam neceſſariam, vt ſerio inefficaciter eorum ſalutem intendat, ac de mediis pro libito prouideat, ac proinde, cum ſerio inefficaciter ea ſcientia præſuppoſita intendit, ac de ſufficientibus præ ſua libertate prouidet reprobis, illis, voluntarie ſe vſui libertatis, & arbitrij illorum, quoad intenti finis abſolutam conſequutionem de facto permittit, ac ſubdit poteſtate abſoluta ſua ſibi prænota, vt illum abſolute, & de facto obtineat, vti nolens: quod reſpectu reprobi nulli ex poſſibilibus auxiliis conſenſuro, & conuertendo, nec habet, nec poteſt Deus habere; ſed velit, nolit intento fine neceſſario carebit.

4. Nil inquam hoc præſtat. Primò: quia intentio illa inefficax, quantumvis ſeria, & ardens ſalutis reprobi, ac mediorum ad eius conuerſionem, & ſalutem obtinendam ſufficientium per ſcientiam eius plenæ, & abſolutæ poteſtatis Dei ad conuerſionem, & ſalutem reprobi de facto, & abſolute per aliud aliquod ſiue determinate, ſiue vage auxilium, hoc vel illud, obtinendam minimè regulatur formaliter, ſed per ſcientiam poſſibilitatis conuerſionis, & obtentionis ſalutis reprobi à Deo per auxilium gratiæ: quæ, etſi nullo auxilio obtinendæ de facto ſint, omnibus, & ſingulis gratiæ auxiliis obtineri poſſunt: quare, & per illa poſſunt abſolute à Deo obtineri: immò ad prouidentiam de mediis ſolum ſufficientibus ea intentione poſteriorem nec ſcientia de abſoluto defectu conuerſionis, & ſalutis reprobi ſub ipſo formaliter præcedit, nec ſcientia vtriuſque ſub alio auxilio ſiue vage, hoc, vel illo, ſiue determinato abſolute futuræ; tametſi ad denegandum in peccati pœnam auxilium efficax, ſub quo conuerſio, & ſalus reprobi abſolute forent, futuritionis huius conditionatæ media ſcientia præcedat. Si autem, neque ad intentionem illam ſeriam inefficacem, neque ad prouidentiam mediorum ſufficientium pro vllo reprobo nullatenus ea ſcientia præcedit, eiuſmodi intentione, & prouidentia Deum poteſtate illa plena, & expedita ad conuerſionem, & ſalutem illius de facto obtinendam vti nolle, atque ei pro arbitrio ſuo renunciare poteſt cenſeri, vrgetur; quia intentione communi illa ſalutis omnium ex quavis ſcientia habeatur, non renuntiat iuri conferendi cuivis hominum auxilia efficacia, cum ex illa conferat libere auxilia efficacia (ratione quorum in ſua poteſtate conuerſionem, & ſalutem eorum habet) prædeſtinatis, qui ſunt poſſetque omnibus: ergo ſolum pro poſteriori electionis, & prouidentiæ iuri, & poteſtati ſuæ renuntiare, atque pro ſuo arbitrio vti nolle, poteſt intelligi: ergo ad intentionem illam concipiendam opus non eſt, vt pro priori ad ipſam ſcientia vlla plenæ illius poteſtatis præcedat, vt ipſi per eam intentionem libere à Deo renuncietur. Pro poſteriori autem ſigno electionis mediorum ſufficientium prouidentiæ erga reprobos, pro quo iure illo conferendi efficacia nolle vti, ac renunciare intelligitur, ſcientia illa neceſſaria non eſt alicuius poſſibilis auxilij congrui indeterminati, & vage in omnipotentia ſua contenti; ſed media de auxiliis determinatis efficacibus, quæ reprobo negetur: & neque hæc negantur ex intentione inefficaci ſalutis reprobi, quæ ad ea deneganda, nequit inducere; ſed potius ab eorum negatione Deum retrahere, neque ex ea intentione, & ſcientia media denegatione conditionata conuerſionis, & ſalutis reprobi ſub auxilio ſufficienti quod donatur: ex qua ſcientia & intentione ab eius collatione potius retrahitur Deus: ſolum ergo ex ſcientia conducentiæ, & ſufficientiæ poſitiuæ illius auxilij ad reprobi conuerſionem, & ſalutem, quod in Dei omnipotentia continetur, eligi illud vi intentionis illius poteſt: Ergo ex nulla ſcientia neceſſaria conuerſionis ſalutiſque reprobi ſub auxilio indeterminatè, & vage, hoc vel illo, vel media de futuritione vel non futuritione conuerſionis, & ſalutis, ſalus ſerio, ardenterque, etſi inefficaciter, omnibus hominibus intenditur ac de ſufficientibus mediis reprobis prouidetur: quin ad eam communem intentionem, & ſufficientium mediorum pro reprobis electionem conſenſuros illos ſub auxilio aliquo, vel vage, vel determinate præſciri formaliter oporteat.

5. Inde conſtat falſam eſſe maiorem primi Syllogiſmi efformati ab hiſce Recentioribus numero 1. ad medium ſcilicet ſolam ſcientiam naturalem, & neceſſariam, atque independentem à noſtræ libertatis exercitio de alicuius auxilij ſaltem vage, cui conſenſurus, quis homo ſit incluſione in diuina omnipotentia poſſe, ac debere Deum dirigere ad ſeriam, etſi inefficacem intentionem communem ſalutis omnium hominum concipiendam. Oſtendimus enim proxime eiuſmodi ſcientiam intentionis illius, non ſolum reſpectu omnium hominum & rationalium creaturarum poſſibilium (de quibus omnibus quæſtio procedit) verum reſpectu abſolutè exiſtentium directiuam de facto non eſſe, nedum eſſe debere; ſed ſola ſcientia conducentiæ auxiliorum in Dei potentia clauſorum ad conuerſionem, & ſalutem creaturæ cuiuſvis, atque poſſibilitatis abſolutæ earum ab auxiliis illis cuiuſvis creaturæ conuerſionem, & ſalutem poſſe à Deo inefficaciter toto ardore, ac ſerietate, citra efficaciam poſſibili, intendi. Ad eius maioris probationes datas numero 2. reſpondetur eas omnes in eo peccare; quod ſerietatem & ardorem inefficacis intentionis diuinæ cum ardore, & ſerietate intentionis efficacis de ſe, & ab intrinſeco infruſtrabilis confundit. Hac enim nec per alios obtinendum finem poteſt aliquis intendere, niſi in manu & poteſtate ſua habeat, vt ille alius intentum finem indefectibiliter apponat; alioqui & fruſtrabiliter, ac ſubinde inefficaciter finem illum intenderet, contra efficacis intentionis naturam, atque dignam Deo prudentiam, & perfectionem; inefficaci vero intentione (quantum intra inefficaciam ſeria) finis per alium obtinendi, ſiue, vt alius finem pro ſuo arbitrio & libertate obtineat, cum inde non teneatur Deus media efficacia (quibus in ſua manu finis ab alio aſſequutionem infallibilem, ſenſu à Recentioribus intenſo habeat) adhibere, quod ea adſint media in ſua pteſtate, adeſſeque ſibi ſiue vage, ſiue determinatè prænoſcat, ac de reliquo vſum eorum, & finis aſſequutionem alterius (quem ſerio vult, vt aſſequatur) arbitrio & poteſtati permittat: quod etiam reſpectu rebellis illius creaturæ præſtaret, ſicut de facto reſpectu reproborum omnium præſtat, quorum abuſu libero perpetuo inefficaciter deſiderans, ſineque ſalutis eorum carens Deus perſtat: eo ſiquidem ipſo, quod creaturæ libertati permittit finis aſſequutionem ea intentione permittit, nec media efficacia per electionem adhibet, ſine

ea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ex ipſorum,ſiue ex voluntatis ſuæ defectu,dummodo ſufficientia adhibeat,vt intentionis illius veritati,& ſerietati ſatisfaciat , quæ ad poteſtatem abſolutam illi homini à Deo faciendam per media ſufficientia extenditur, atq; ita procurandum, non autem vlterius à Deo faciendam illud de impoſſibilitate deſiderij diuini, adhuc inefficacis, de exiſtentia chimæræ, vel non exiſtentia entis neceſſarij paritatem ad rem præſentem non habet : cum vtrumque abſolutè impoſſibile ſit, &,ad quod obtinendum medium nullum adhuc ſufficiens eſſe nequit:atque in impoſſibile cognitum deſiderium eſſe non poſſit,nec ſine medio quod ad finis intenti aſſecutionem conducat: ſalus autem creaturæ illius abſolutè poſſibilis , & Deo ipſi eius aſſequutio poſſibilis per media ſufficientia in ſua omnipotentia contenta,quæ illam conſequendi rebelli illi creaturæ abſolutam facerent poteſtatem.

6.Probant ſecundo Recentiores ex infinitate ſatisfactionis,& meritorum Chriſti morte conſummatorum,quæ delictis cunctis,præmiiſq;poſſibilibus exceſſit,vt ad Hebr.4. dicitur:*pro omnibus guſtauit mortem*.Ex quo præter ſimile argumentũ proxime efformato,& diſiecto ſic vrgentius ab abſurdo noſtram,& ſuam hanc ſententiam ijdem probant Recentiores. Nulla eſt poſſibilis adeo rebellis creatura, reſpectu cuius auxilia efficacia poſſibilia abſolute non ſint,non aliqua ſolum , ſed omnia etiam auxilia quæ ſunt de facto ſufficientia. Patet : quia in doctrina de efficacia auxiliorum extrinſecus ſolum à conſenſu noſtro conſtituenda(in qua ſolum quæſtio procedit) eo ipſo,quod auxilium ſufficiens quoad poſitiuum ſufficientiæ,& poteſtatis phyſicæ antecedentis ad conſenſum ſub illo ſit conſenſus,ſub illo poſſibilis cuivis rationali creaturæ abſolute eſt;quare,& efficacia conſenſu illo conſtituenda eſt abſolute poſſibilis.Pergunt Recentiores:ergo merita Chriſti, quæ præmium omne abſolute poſſibile,& vltra infinities, merentur auxilia efficacia omnib. & ſingulis, quantumvis rebellibus,& obduratiſſimis creaturis rationalibus:ergo,& abſolutè poſſibilis eſt meriti Chriſti huius reſpectu auxiliorum horum efficacium cuivis creaturæ rationali,etiam obſtinatiſſimæ,remunerator. Patet etiam ſiquidem ex impoſſibilitate abſoluta remuneratoris abſoluta remuneratio,quare,& meritum , quod vtrumq; eſſentialiter reſpicit erit neceſſario abſolutè impoſſibile. Aſt Deus,nequit eſſe remunerator eorum efficacium auxiliorum donatione rebelli illi creaturæ nulli auxilio conſenſuræ,cum ea in manu, dominio & poteſtate ſua non habeat reſpectu illius creaturę,in aduerſariorum ſententia:ergo ſola illa creatura in cuius abſoluta poteſtate antecedente eſt auxilia efficacia reddere poterit eſſe remuneratrix meritorum Chriſti præmio illo,quod abſolute eſt promeritus;atque adeo aliquid Chriſtus promeritus eſt quo Deus ipſum remunerare non poteſt,ſi rebellis illa creatura non repugnet.

7. Reſpondetur tamen facile ex ſuppoſitione,quod creatura illa adeo rebellis , & dura nulli auxilio conſenſura ſit,efficaciam auxilij eius,ſcilicet conſenſu, ſiue conditionato,ſiue abſoluto conſtituendam,repugnare:quare in ea ſuppoſitione merita Chriſti ad auxilia efficacia illi creaturæ,qua efficacia non extendi potius,quam ad impoſſibilia realia,quia in ea ſuppoſitione, vt dixi eorum efficacia repugnat;ac proinde,nec Deum, nec creaturam illam aut aliquem alium remuneratorem eſſe in ea ſuppoſitione pręmio efficacis auxilij,in ſuppoſitione ead.repugnante:quia nec creaturæ illius,nec alterius cuiuſpiam,Dei etiam poteſtate,fieri poteſt,vt creatura illa ex ſuppoſitione quod nulli auxilio conſenſura ſit,alicui ſit conſenſura illudq; auxilium conſenſu ſuo efficax reddere poſſit Conſiderata vero & creatura illa,& auxilij cuiuſvis ipſi poſſibilis,quib.adæquata eius potentia in actu primo ad conſenſum,vel eius omiſſionem vel diſſenſum cõſtituitur,poſſibilem abſolute conſenſum illi rebelli creaturæ eſſe : quare,& auxilij efficaciam eo conſenſu conſtituendam; aſt,& Deo etiam eſſe abſolute poſſibilem eius auxilij caſu,quo conſenſura ſub illo creatura illa foret,donationẽ,ac proinde,& pro priori ad vſum libertatis creaturæ,& auxilij eius donationẽ auxilij conferendi eſſentia ſolummodo conſiderata,cui efficacia non repugnat,poteſtq; vt poſſibile ſolum præmium ſub merita Chriſti venire,nec Deo auxiliũ cum ea antecedenti poteſtate ad efficaciam conferre,repugnare : quare neque eſſe auxilio illo,poſſibiliter ſolum efficaci,meritorũ Chriſti remuneratorẽ,ſicuti nec creaturæ illi(non quidem eorum meritorum eſſe remuneratricem quod implicat) ſed conſenſu ſuo,quo auxiliũ in actu 1.poteſt efficax reddere abſolutè ſibi poſſibili materiam præbere auxilij efficacis à Deo donandi ex ſubſecutura poſt,nec pro illo priori repugnante , ſcientia media de ipſius conditionato conſenſu ſub auxilio illo,eiuſdemq;auxilij efficacia:tametſi quia,& conſenſus conditionatus creaturæ pro poſteriori ſigno vſus libertatis creaturæ illius , ac ſubinde ſcientia media conſenſus de conditionata futuritione ſub auxilio illo abeſt,imò adeſt oppoſita de negatione conſenſus ſub illo, nequeat illud,quia efficax donare:ſicuti nec exercitio illo & vſu libertatis creaturæ illius poſito & expectato auxilium illud efficax reddere , niſi chimærica coniungendi contradictione conſenſum cum eius negatione poteſtate vllatenus poteſt.



---

## CERTAMEN VII.

### *A ſolutione vnici fundamenti opinionis aduerſæ noſtræ, & communis probatio poſtrema.*

1. POſtremam hanc rationem tribus datis cert.5. ibi non adiunximus ante examen rationũ,quas cert.6. reiecimus:ſed in hoc certam. reſeruauimus vbi erant aduerſariorum fundamenta eruenda:quia ex eorum euerſione deſumenda poſtrema ratio eſt:vnicum autem affirmantis ſententiæ aduerſæ fundamentum ex euerſione libertatis creatæ deſumitur:quia,ſi ad attributa neceſſaria omnipotentiæ,ac Dominij diuini ſpectat continẽtia alicuius ſaltem vage,& indeterminatè auxilij,cui creata quęvis rationalis ſit conſenſura, ac ſubinde creaturam rationalem nulli omninò auxilio poteſtatis,& dominij diuini conſenſuram eſſe repugnet : ergo ex neceſſitate eius conſenſum antecedente,cum in omnipotentia,& dominio diuino, tũ in natura creaturæ cuiuſvis rationalis ( quæ omnia eius conſenſum natura antecedunt)non poteſt non alicui auxilio Dei conſentire : ergo ex neceſſitate antecedente natura conſenſura eſt : ergo non libere iuxta firmiſſima noſtra in Philoſophia,Theologia,ſcriptura,Patribus & Conciliis de libertate cauſarum & effectuum principia & conſequentias ad non eam fere probatas tom.1. de Deo vno controu.3. fuſiſſima d.1.per tot, ſed tamen,nec libertatem creaturæ rationalis,& operationis eius euerti, neque vllatenus eo argumento probari oſtendendum hic eſt,vt nullo fundamento oppoſitam ſententiam de poſſibilitate creaturæ à Deo rebellis nulli prorſus auxilio conſenſuræ, & ſubinde imprędeſtinabilis niti monſtremus:id autem inprimis probo.Etenim ex neceſſitate etiam antecedente natura, & cauſalitate alicuius ex pluribus effectibus diſiunctim, & vage non tollitur libertas cauſæ ad quodvis eorũ determinate apponendum:ergo neque ex neceſſitate antecedente natura creaturæ cuiuſvis rationalis ad conſenſum ſub aliquo auxilio diſiunctim,& vage creaturę,& conſenſus illius ſub auxilio quovis indeterminato tolletur libertas.Conſequentia eſt certa:imò certior ea,quæ in antecedenti continetur:ſiquidem neceſſitas antecedens altervtrũ agendi phyſice, & abſolute poſita , ex parte antecedentis pręcedit:neceſſitas vero conſentiendi alicui auxilio vage, huic,vel illi ex contentis in dominio,& omnipotẽtia Dei phyſicè,& abſolutè poſita conſenſum nuſqnam præcedit: cum nunquam coniunctum,& cumulus totus auxiliorum in Dei omnipotentia,& dominio clauſorum, ( in quo ſolum toto, & coniunctim ſumpto neceſſitas conſenſus alicui auxilio diſiunctim,ex quibus coniunctum illud,& cumulus auxiliorum omnium conflatur,eſſe concipiq;& admitti poteſt)ex parte actus primi à Deo donetur,& adſit.

2. Antecedens mille exemplis à Theologia, & Philoſophia admiſſis,& ab omnibus admittendis probatur:Primo enim Chriſti Domini humanitas ex antecedente impeccabilitate vi vnionis hypoſtaticæ ipſi inducta,& præcepto abſolute ipſi impoſito acceptandi mortẽ(& idem eſt de reliquis præceptis naturalibus poſitiuis aliquid agendi) phyſicam neceſſitatem antecedentem agendi , eliciendique actum acceptandi mortem diſiunctim,hunc vel illum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

habet: & tamen per Theologos omnes ad huius determinate, & ſingularis actus elicientiam retinet phyſicam libertatem; tametſi moralem, atque maioris æſtimabilitatis apud Deum præmiaturum ad meritum à Recentioribus requiſitam non retineat, vt vidimus controu. 6. de Incarnat. q. 3. vbi diſtinctionem hanc phyſicè, & moralis, ſeu meritoriæ libertatis confutauimus. Secundo probatur ex neceſſitate creatæ voluntatis ad conſenſum, vel diſſenſum diſiunctim, circa obiectum propoſitum, ſicut plures volūt, non poteſt purè omittere, vel ad conſenſum vel eius omiſſionem diſiunctim ſi pure omittere poteſt; cum tamē in cuiuſque extremi determinate appoſitione ſe ex libertate gerat. Tertio probatur ex neceſſitate, quam natura ſua, Deique ſpecialiſſimo priuilegio deficiente omnes homines (immò, & creatura rationalis quævis) committendi aliquot ſaltem veniale, quam moralem neceſſitatem, vt minimum eſſe omnes fatentur: phyſicam autem æſtimat cum pluribus Vaſquez noſter 1. 2. d. 143. c. 3. 7. & 16. ac d. 207. cap. 2. num. 15. & quia maiorem neceſſitatem, quam ſit in infideli, vel diu, multumque perſeuerante in lethali, & iniuſtitiæ ſtatu ad committendum aliquod mortale reputant eſſe: & tamen ea neceſſitas in quovis iuſto, etiam admittendi aliquod veniale diſiunctim, atque in infideli diuturnoque peccatore committendi aliquod mortale vage, & indeterminate, non aufert libertatem peccat, ſiue mortalis, ſiue venialis, quod determinatè & in ſingulari ab his committitur: Ergò nec cuiuſvis rationalis creaturæ neceſſitas conſenſus alicui vage, & indeterminatè ex Dei omnipotentia & Dominio contentis auxiliis. Quartò: in quovis mortali cuius mortalitas ex magnitudine materiæ diuiſibilis ex homogeneis partibus minutulis conflatæ, ad quamvis ſeorſim partem minutulam ſine lethali apponendam poteſtas phyſica, & moralis eſt; ſecus autem ad eam ſimul cum aliis ſiue lethali apponendam: ergo & ad non conſentiendum, diſſentiendumve cuivis determinato auxilio, poteſtas creaturæ rationali conſenſuræ ſub aliquo vage eſſe abſolute poterit: tametſi ad non conſentiendum, ſeu diſſentiendum illo ſimul, & coniunctim cum aliis poteſtas ipſi non ſit ſed ad conſentiendum neceſſitas.

3. Probatur ſecundo: quia neceſſitas hæc conſentiendi alicui diſiunctim auxilio ex contentis in Dominio, & omnipotentia Dei (quæcunque, & cuiuſvis generis neceſſitas ſit de quo inferius) niſi ex toto cumulo auxiliorum poſſibilium nequit induci: atqui cumulus totus auxiliorum ad nullum actum ſeu conſenſum rationalis creaturæ ex parte actus primi abſolutè præcedit: ergo ea neceſſitas ad nullum actum, ſeu conſenſum creaturæ rationalis ſingularem & determinatum abolet, impeditve ipſius libertatem. Probatur conſequentia ex ſæpe dictis, tam hic controu. 4. d. 6. quæſt. 2. quam tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. quia ſola neceſſitas ex parte cauſæ, & actus primi abſolute præcedens poteſt, tam ipſius, quam effectus, & operationis libertatem abolere aut impedire. Minor probatur: quia ad quemvis conſenſum ſingularem, & poteſtatem voluntatis in actu primo ad ipſum conſtituendam vnum auxilium ſufficit, & regulariter ſolum abſolute præcedit, nuſquam autem totus cumulus auxiliorum alicui creaturæ rationali poſſibilium, vt patet; immò cum auxilia cuivis rationali creaturæ poſſibilia actus ipſius vitales, & ſubinde infinita ſyncathegorematicè ſint, vt nunquam tot ſimul eſſe queant, vt plures eius vitales actus eſſe abſolute per totam æternitatem, ex qua, & per quam creari à Deo potuit rationalis creatura eſſe non poſſint, totum auxiliorum abſolute poſſibilium cumulum ad aliquem ſingularem in aliqua duratione determinata eliciendum conſenſum ſimul ex parte actus primi præcedere prorſus repugnabit: quare, & ex cumulo illo auxiliorum neceſſitatem natura antecedentem ad conſenſum induci. Nec valet ex diſſenſu, ſeu negatione conſenſus abſoluta auxilio, quod abſolute etiā hic & nunc ad conſenſum ex parte actus primi præcedit conſenſuram eſſe ſub aliquo alio, quod abſolute etiam hic, & nunc abſolute præcedat; ex eo enim, quod aliquod auxilium vage, & indeterminate, cui conſenſura rationalis creatura ſit, ſi donetur, debeat in omnipotentia contineri: & ex neceſſitate reſpondente in creatura conſentiendi ſub aliquo vage auxilio ex contentis in omnipotentia, ſolum infertur poſſe auxilium aliquod, cui conſenſura voluntas hic, & nunc eſſet, à Deo donari; non autem conferri ab ipſo debere: cum adeo frequenter à Deo negetur: immò & poſſit Deus non ſolum auxilium tale, ſed omnia etiam ſufficientia auxilia ſupernaturalia creaturæ illi rationali, etiam exiſtenti, negare, pluribuſque, & pene innumeris creaturis rationalibus, nec productis, nec producendis (reſpectu quarum eadem neceſſitas conſentiendi alicui vage, & indeterminatè auxilio ex contentis in omnipotentia verificatur) de facto denegauit: cum autem auxilium illud efficax de facto hic, & nunc ex parte actus primi ad conſenſum præcedere nequeat, ni à Deo donetur, ex eo, quod non debeat à Deo donari, infertur aperte non debere præcedere.

4. His fere omnibus aduerſariorum fundamento DD. quos ſequimur noſtri reſpondent, libertatemq; rationalis creaturæ cum neceſſitate conſentiendi alicui vage, & diſiunctim auxilio ex contentis omnipotentia, & dominio diuino, doctè ſatiſque componunt; ſed addendum aliquid vlterius eſt, quo doctrina eorum, vt non prouehatur magis ſaltem clareſcat, atque neceſſitatem illam conſenſus ſub aliquo auxilio à creatura rationali futuri, antecedentem non eſſe plenius, planiuſque oſtendatur. Admiſſo enim Deum, vel ad auxilium, quod habiturum effectum, ſi detur, atque ab extrinſeco conditionato creaturæ illius conſenſu efficax in ſua Omnipotentia claudi cognoſcat, conferendum teneri (quod vt vidimus falſiſſimum experientia ipſa & ratione eſt) vt totum cumulum auxiliorum poſſibilium Dei omnipotētia, & dominio clauſorum hic, & nunc ex parte actus primi ſimul ponere, quare & abſolute ad conſenſum præcedere; tamen neutro modo libertas creaturæ illius, conſenſuſque tunc eliciendi, lædi poteſt: quod ſic oſtendo. Connexio illa omnipotentiæ cum conſenſu creaturæ illius non eſt connexio intrinſeca immediata omnipotentiæ cum conſenſu ipſo, ſed mediata ſolū, & extrinſeca ratione auxilij illius cui conſenſura voluntas eſt, ſi à Deo donetur, & abſolute conſenſum præcedat, & ratione cuius verum eſt non poſſe non creaturam illam toti cumulo auxilorum non conſentire, atque alicui vage indeterminate, huic ſcilicet, vel illi auxilio conſenſuram neceſſario: ergo eius ſolum rationis, & generis connexio omnipotentiæ cum creaturę illius conſenſu erit, cuius generis connexio cum illo, & neceſſitas conſenſus illius, atque negationis illius impoſſibilitas eo determinato auxilio, vel toto etiam cumulo auxiliorum ex parte actus primi poſito fuerit: atqui illius auxilij, ac cumuli totius auxiliorum ratione illius connexio, & neceſſitas conſenſus & negationis eius impoſſibilitas ſolūmodo conſequens, & logica atq; extrinſeca ipſis eſt, à futuritione conditionata ſub eo auxilio, ſi donetur; non autem intrinſeca auxilio illi, & ratione illius toti cumulo auxiliorum ac phyſicè antecedens: ergo connexio illa omnipotentiæ cum conſenſu ratione auxiliorum in ipſa clauſorum: atque ei reſpondens in creatura rationali conſenſus neceſſitas, & negationis eius impoſſibilitas conſequens ſolum, & logica eſt, atque extrinſeca, non intrinſeca, ac phyſice conſenſum antecedens: ſola autem intrinſeca, ac phyſicè antecedens neceſſitas conſenſum poteſt huius, & voluntatis lædere libertatem; conſequens autem & logica neutrius libertatem lædere poteſt, vt cunctis Philoſophis, & Theologis eſt notū.

5. Conſequentiæ ſunt legitimæ ſi veritatis firmæ ſit vtrumque antecedens, & ſubſumptum ad conſequentiam ſecundam facile probatur, vel potius patet in doctrina, in qua diſputamus de auxiliorum efficacia ipſis nullatenus intrinſeca, ſed extrinſeca ſolum à futuritione conditionata conſenſus ſub illis. Ea enim ſtatuta neque auxilio determinato, cui, ſi detur, conſenſura voluntas eſt, nec in toto cumulo auxiliorum poſſibilium ratione illius abſolute poſitis plus quam conſequens, & logica conſenſus creaturæ illius neceſſitas eſſe poteſt: cum, nec in auxilio illo, neque in toto auxiliorum cumulo entitatiuè, ac ſecundum intrinſecum ſumptorum (quo ſolum pacto conſenſum phyſice, & ex parte actus primi antecedunt) vlla ſit cum conſenſu connexio ad ipſumve determinatio, ſed omnimoda ad conſenſum, eiuſque negationem, & diſſenſum indifferens, atque indeterminata poteſtas. Primum vero antecedens ad illationem primam æqua facilitate probatur. Quia connexio omnipotentiæ ſolius (etſi intrinſeca cum creaturis poſſibilibus admittatur) in ordine ad aliquid agendum, ad id ſolum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſolum immediata,& intrinſeca admitti poteſt,quod ſe ſola,nullaque alia cauſa creata neceſſario interueniente, & media agere poteſt. Quocirca connexio omnipotentiæ cum noſtris actibus vitalibus etiam neceſſariis in ordine ad illos efficiendos, ac non liberis, qua à noſtris facultatibus vitalibus proueniunt, non immediata, ſed media ſolum eſſe poteſt, quatenus ſcilicet facultates ipſas noſtras vitales ex parte ſua operaturas agere poteſt, eiſque mediis actu ipſos quatenus ab ipſis proueniunt, nequeunt actus illi à potentia ſola immediatè prouenire ſeu produci, & actiue apponi, atqui conſenſus creatæ voluntatis cuiuſvis nequit ab omnipotentia ſola apponi, atque produci, quin mediet neceſſario, & creata voluntas, & vocatio ad ipſum intentionaliter inducens, & mouens (ſiquidem in incognitum ferri voluntas nequit) ergo intrinſeca, & immediata connexio in ordine ad producendum apponendumque conſenſum pro ſuo arbitrio, & voluntate, vel, ſi velit Deus, nequit eſſe omnipotentiæ ſolius, ſed mediis auxiliis,& voluntate illis inſtructa ad operandum: ergo omnipotentia, dominiumque Dei cum creaturæ rationalis conſenſu vitali, & libero,quatenus ab eius voluntate eſt, ſiue in ordine ad faciendum, vt hæc operetur, conſenſumque ex parte ſua eliciat,immediata & intrinſeca omnipotentiæ ſolius, & ſecundum ſe entitatiuè ſumptæ ſolum, eſſe non poteſt, ſed ratione auxiliorum,quæ continet, & quibus neceſſario intermediis efficere ſolummodo poteſt, vt creata voluntas ex parte ſua conſenſum apponat: quare eatenus ſolum in manu,& potentia ſua illius voluntatis conſenſum habet,habereque de ſe Deus poteſt, quatenus auxilia innumera habet quorum alicui conſenſura voluntas ſit.

6. Connexio itaque immediata, & intrinſeca Omnipotentiæ, & Dominij diuini ſolius entitatiuè, & intrinſecè ſumpti cum ſolis innumeris illis auxiliis eſt,cum conſenſu vero vitali, & libero creaturæ, qui abſque immediata motione, & influxu intentionali, & voluntatis creatæ ex parte ſua à Dei Omnipotentia nequit, ratione auxiliorum contentorum in omnipotentia, quibus conſenſura illa eſt,ſi ex Dei libito donentur vt in antecedente illo primo dicebamus. Confirmatur: quia ex ea ſola connexione, ſeu continentia auxiliorum immediata, & intrinſeca Omnipotentiæ, & Dominio Dei, & ſubinde conſenſus creaturæ ratione illorum (tametſi alia immediata, & intrinſeca Deo connexio, & continentia eſſet poſſibilis) Dei Dominium, & poteſtas in conſenſum cuiuſvis creaturæ melius, atque ab omni difficultate expeditius intelligitur,& cum creaturæ cuivis libertate componitur, vt patet. Confirmatur ſecundo: ex dictis ſæpè controu.4.de volunt.& 6. de prouident. & 7.hac de prædeſtinatione: vbi oſtendimus poſſe voluntatem efficacem Dei eſſe cuius efficacia, & connexio ad auxilia ſolummodo congrua, & efficacia terminetur,quin ad conſenſum noſtræ voluntatis ſub illis ſe extendat,& ea etiam voluntate poſita illæſam ſeruari, & voluntatis, & conſenſus libertatem: quia in ea vel ex ea neceſſitas ſolum conſequens, & logica voluntatis, & conſenſus inducitur, non vero phyſica, & antecedens. Quam doctrinam Scotiſtæ præfinitores ad ſuas actuum liberorum præfinitiones per ſcientiam mediam regulatas tuendas locum habere perperam docent, vt ſolum ratione auxiliorum efficacium, & eadem auxiliorum connexione & neceſſitate (conſequente & logica nimirum) connectantur cum conſenſu præfinito: quod locum in præfinitionibus illis quarum efficacia intrinſeca conſenſum ipſum attingit, tametſi ſcientiam mediam conſenſus alias liberi, qua dirigantur eſſentialiter ſupponunt citatis locis maxime controu.4. d.6.q.2. fusè monſtrauimus: ſed eo nunc permiſſo exemplo voluntatis diuinæ connexæ ſe ipſa immediatè ab intrinſeco cum efficacibus auxiliis ſolummodo, non autem cum conſenſu ipſo, cum quo tamen ratione auxiliorum mediatè, & extrinſecus ſolummodo connectatur (ſiue ea conſenſus præfinitio ſiue auxiliorum efficacium præfinitio tantummodo ſit) connexio omnipotentiæ cum conſenſu cuiuſvis rationalis creaturæ pro Dei libito, & voluntate ratione auxiliorum efficacium in ſua omnipotentia, & Dominio clauſorum, quæ proinde abſolutè dare illi poteſt, ſi velit, atque inſuper neceſſitas diuino huic dominio,& poteſtati ex parte cuiuſvis creaturæ reſpondens conſentiendi, ſi Deus auxilium aliquod efficax ex contentis dominio, & omnipotentia ſua dare ipſi voluerit apprime dilucidéque explicatur.

7. Prona ex hactenus dictis eſt (neque vna tantum) ad fundamentum vnicum contrariæ ſententiæ ſolutio. Prima Doctorum ſententiæ noſtræ nobis anteriorum ex dictis vſque ad num.4. nimirum neceſſitatem ex Dominio,& poteſtate Dei ratione auxiliorum efficacium, quæ in eius omnipotentia clauduntur,conſenſus cuiuſvis creaturæ rationalis ſubortam, non eſſe neceſſitatem conſentiendi auxilio vlli ex poſſibilibus determinatè, & ſeorſim ſumpto quod ſolum hic, & nunc abſolutè ad conſenſum præcedit, ſed alicui vage, & indeterminatè ex coniuncto illo toto, & cumulo auxiliorum, quod nunquam totum ad conſenſum abſolutè antecedit, ex qua neceſſitate vaga conſentiendi alicui ex auxiliis illis indeterminatè neceſſitas creaturæ illius ad conſentiendum ſoli illi determinato auxilio, qui ſolius hic,& nunc eius abſolutum conſenſum abſolutè antecedit, minimè infertur: vt bene præfati Doctores datis à nobis ferè omnibus exemplis oſtendunt, atque ex notatis noſtris cert.1. liquido apparet: ſed quoniam ſolutio hæc variis inſtantiis, & vlterioribus argumentationibus implicari poteſt, quas perſequi, ac rejicere prolixius nunc quam vtile foret ſi ea neceſſitas admittatur eſſe (vt aduerſarij contendunt, antecedens, vel talis eſſe non negetur) ſit ſecunda planior ex dictis à numero 4.& expeditior ſolutio: negando illam antecedentem eſſe ac ſolum eſſe conſequentem admittendos; etſi enim omnipotentia, & Dominium Dei in actus voluntatis creatæ, & creaturæ rationalis natura Dei omnipotentiæ, & dominio eſſentialiter in operando ſubdita eius conſenſum natura antecedat,tamen nihil in eis eſt abſolutè, ac de ſe connexum immediate,& intrinſecè cum conſenſu abſoluto creaturæ illius, poſita etiam donandi auxilia efficacia voluntate, ſed ſolum mediatè, & extrinſecus ratione auxiliorum efficacium,ab extrinſeco ſolum creaturæ conſenſu talium: licet Dei omnipotentia & dominium intrinſecus ad auxilia aliqua, ita extrinſecus efficacia reſpectu creaturæ cuiuſvis terminetur, quæ, ſi cuivis creaturæ dare (vt poteſt) pro libito velit, conſenſum ab illa infallibiter obtinebit, quin ipſa conſequente poſſibilitate, vel auxiliis, vel Dei Dominio poteſtati, & voluntati ea donandi poſſit reſiſtere: tametſi antecedente poſſibilitate vtrique reſiſtere abſolutè poſſit.

## QVÆSTIO II.

### *A prædeſtinationis noſtræ cauſa efficiens motiue meritorie ex parte prædeſtinati detur, darive ſaltem poſſit?*

DIxi *efficiens motiue meritorie* vt quæſtionem ad terminos Theologica diſputatione dignos reſtringerem; voce enim efficiens finalem cauſam excluſi: quam prædeſtinationis, adæquatè etiam ſumptæ dari, nempè gloriam noſtram extra quæſtionem eſt: ſiquidem ex preconcepta gloriæ, & ſalutis noſtræ intentione, ac vehementi deſiderio gratiæ ſuæ dona omnia à primo ad vltimú vſq: nobis à Deo eligi,prouideri,ac miniſtrari dogma Catholicæ fidei eſt. De efficiente autem prædeſtinationis noſtræ cauſa *elicitiue* conſtat etiam ex Philoſophia & Theologia tota ex parte noſtri cauſam aſſignari nullatenus poſſe: cum prædeſtinatio actibus vitalibus intellectus & voluntatis diuinæ adæquatè conſletur, reſpectu quorum proinde tota vera (etſi non phyſica) intentionalis elicientia à Deo qui eius actibus viuit eſſe neceſſario debet: cum vitalis omnis actus habeat immanenter produci atque in eodem à quo elicitur ſubiectari: ac proinde ex parte prædeſtinati



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

actiuus elicitiuè in ſuam prædeſtinationem influxus, vel minimus repugnat: idcircò addidi *motiuè* vt efficientis amplitudinem ad ſpecialem efficientis intentionalis motionem (de qua Patribus & Theologis priſcis cum Hæreticis, & Nouatoribus aſſeclis eſſe controuerſia poteſt) diſputationem coarctarem: quoniam vero efficiens motiuum id omne complectitur, quod, vt abſolutè exiſtens, (quod efficientis cauſæ, prout à finali diſtinguitur, vniuerſim proprium eſt) intentionaliter actum, ſiue intellectus, ſiue voluntatis ſollicitat: idque vel occaſionaliter, vel meritoriè fieri contingat; addidi *meritorie*, vt ad ſpeciem hanc meritoriæ intentionalis motionis ex parte prædeſtinati præſentem redigerem quæſtionem: de occaſionali enim intentionali motione lis eſt diuerſa: addidi *ex parte prædeſtinati tantum*, vt gratiæ Dei adiutorium omne ſecluderem ad ſuæ prædeſtinationis motionem meritiuam: eius quippe interuentu quæſtio eſt alia inferius expedienda. Quare in præſenti prædeſtinatum in puris, vt aiunt naturalibus, ſiue ſecundum eius proprias naturales, vel actiuas, vel exactiuas vires accipimus, vt cum explorato Hæretitis Semipelagianis, ſeu Maſſilienſibus ſolummodo diſputemus. Oportet autem horum errorem liquido, Ducemque, & Patronos exploratos præmittere, atque immeritò à nonnullis Doctoribus accuſatos firma eruditione ac rigido examine ab ea ſuſpicione liberare.

## CERTAMEN I.

### *Semipelagiana præſertim ad purum de re præſente hæreſis examinatur rigide.*

1. DIxi Semipelagianam hæreſim, & Authores, & fautores præſertim ad purum cert. hoc examinandos eſſe, ac recenſendos; etſi concernentes aliæ in re preſente Hæreſes, & Authores memorandæ ſint, vt ad Theologorum plenam illarum inſtructionem, atque eruditionem oportet. Prima igitur Valentini Baſilidis, & ſequacium effutientium hominum aliorum animas ſuapte natura eſſe terrenas, ſiue terrenis cupiditatibus ſubditas, ac prauis earum terrenis affectibus neceſſario addictas, proptereaque reprobari, vtpote prædeſtinationis diuinæ incapaces, aliorum verò hominum animas ſpirituales eſſe, ac totas ſpiritualibus ſanctiſque ac honeſtis affectibus ſuopte ingenio, geniove addictas neceſſario, & impeccabiles, ac ſubinde cum hominibus, quos conſtituunt, prædeſtinari: qua in re præter communem cum iam recenſendo errorem alio hi peccant, hominumque animas ſpecie diſtingentes aliaſque terrenas, aliaſque ſpirituales contra fidei dogma de noſtrarum animarum omnium ſpiritualitate, ac immortalitate. Secunda Bardaſſeni, & Priſcillianiſtarum hæreſis fuit aſſerentium homines, ob bonum, prauumve genium, ſeu ingenium è corporiſque conſtitutione orta ex diuerſitate conſtellationis, & adſpectus aſtrorum in cuiuſque conceptione, & natiuitate alios prædeſtinari, alios reprobari, cum primo error hic ſecundus commune aliquid habet: quod ſcilicet noſtrarum actionum libertatem euertat; noſque ſubinde ad gloriam meritis, nec ſolis meritis è Dei gratia ortis (vt fides docet) obtinendam, eligi, ac prædeſtinari negat: quamvis diuerſimode, quod è naturali animarum noſtrarum genio, atque impote ſuarum actionum inclinationi natiuæ prima hæreſis tribuebat, ſecunda hæc corporum noſtrorum naturali conſtitutioni tribuat. Addit autem ſecunda hæc hæreſis errorem alium de fato gentilico in ortus, conceptuſque vniuſcuiuſque conſtellatione ab Ethnicis Philoſophis, Aſtrologis præſertim, conſtituto. Contra hos errores agendum hic non eſt, controuerſiis enim de cœlo, & de anima vtriuſque ſpecialia abunde confutauimus: quoad communem vtrique libertatis euerſionem egimus ibidem, & plus ſatis tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. & tom. hoc 2. controu. 4. Notauerunt autem confutaueruntque errorem vtrumque Leo 1. epiſt. 91. cap. 11. Auguſt. de hæreſibus in 35. & cap. 70. & 5. de ciuit. cap. 2. Concil. Brachar. 1. capite 8. & quatenus ad conſtellationem in cuiuſque ortu ex illo Hierem. 10. *A ſignis cæli nolite timere*, &c. & ad Rom. 9. *Sed, & Rebecca ex vno concubitu*: atque è ſimili conceptu, & ortu *Phares, & Zaran de Thamar* æque confutatur. Sed hi errores, quamvis ad prædeſtinationis initium ex parte prædeſtinati pertineant, fuerintque proinde hic memorandi, quia in diſputatione hac integram quæſtionem non merentur: ad ſpecialem tamen quæſtionem in terminis non ſpectant.

2. Spectat autem ad illam æquiualens fere in terminis ipſis error Origenis 1. Periarch. c. 6. 7. 8. & 9. ac lib. 3. cap. 10. aſſerentis animas noſtras ſui in corpora immerſioni præuixiſſe, vtpote anterius tempore ex mundi nimirum initio à Deo creatas, vt referebamus controu. 1. de Incarnat. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 4. verſ. fin. eo igitur tempore, quo corporum ſuorum productioni, temperaturæ, & conſtitutioni, atque immerſioni ſubinde, & informationi præceſſerunt, bene, maléve operatas animas noſtras originet putauit, ac pro earum bonis, maliſve meritis de ſe reique habitis ad gloriam prædeſtinatos ab illave reprobatos fuiſſe homines illis conſtitutos, teſte Hier. epiſt. 150. cap. 2. vbi eius quoad præſens attinet errorem ex illo ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni egiſſent aut mali* (Iacob, & Eſaü reproborum, & prædeſtinatorum typi) egregiè confutat: obſeruans hunc Origenis errorem omnem ex Platone duxiſſe, qui primus animarum aut hominum, quos conſtituunt exiſtentiam præduraſſe docuit: Eundem Origenis errorem memorant refelluntque alij à nobis memorati citato loco de Incarn. & à Soario 1. de prædeſtinat. c. 4 circa quem errorem confutandum addenda hic plura ſpeciatim non ſunt: tum, quia erroris huius confutatio in terminis præſentis quæſtionis ſcopus non eſt: tum, quia iiſdem, quibus Semipelagianus error in ea examinandus, refellenduſque ſuſceptus, confutatur affatim, & is Origenis error propelletur.

3. Propius ad quæſtionis huius ſcopum & terminos attinet Pelagij, & Celeſtij ſequaciumque de Principis nomine Pelagianorum hæreſis notiſſima. Nempe homines naturæ viribus gloriam condignę promereri ſuis operibus abſolute poſſe, quare, & proinde adæquatam prædeſtinationem ad illam, ita enim appellabant dandi hominibus gloriam Dei voluntatem) gratiam verò Dei naturæ noſtræ prorſus indebitam ad bona quæris noſtra, & meritoria opera abſolutè, neceſſarioque prærium ſubinde negabant, ſolumque ad facilius perpetranda requirebant: gratiam tamen hanc nihil aliud quam legis notitiam, & doctrinam, ſeu prædicationem eſſe volebant. Itaque homines & iuſtificari, & in gratia, & iuſtitia, ſiue ſanctitate proficere ex naturæ viribus, tam quoad poteſtatem antecedentem, quam quoad conſequentem Pelagiani aiebant: quare, & id totum quoad ſubſtantiam ex naturali prouidentia, nuſquam vero à ſupernaturali prædeſtinatione ipſis prouenire: atqui ob ſic à eis parta bona opera, iuſtitiam, & ſanctitatem gloriam ipſis à Deo decerni, atque donari. Ita horum hæreſim referunt Concil. Carthag. habit. anno 415. epiſt. ad Innocentium Papam à triginta quoque Epiſcopis conſcripta à Concilio Africano (cui adfuit Auguſtinus (circa tempora Bonifacij Papæ à Concil. Senonenſ. anno 1528. præfat. ad decreta fidei à Trident. ſeſſ. 6. can. 1. & 3. contra Pelag. ab Innocent. Pap. 1. epiſtol. ad Concil. Mileuit. quæſt. 93. à Hieron. epiſt. ad Theſiphontem, & libris contra Pelag. à Gregor. Mag. 1. in Ezechiel. homil. 9. ab Auguſtino toto fere lib 6. de gratia in cuius cap. 3. 5. 6. 7. 35. & 49. docet gratiam à Pelagio admiſſam, legem, & doctrinam ſolummodo eſſe: gratiam vero Dei ad bene operandum, iuſtitiæ, & ingreſſum, & progreſſum abſolutè aliquando à Pelagio admiſſam, ſubdole admiſſam fuiſſe, naturæ vires adeo præſtitas intelligendo teſtatur c. 19. 20. 21. 42. & 46. & lib. de geſtis contra Pelag. in Concil. Paleſtin. qui extat apud noſtrum Soarium tom. 1. de grat. & in edit. operum Auguſtini Pariſiis anno 1614. ac tandem citato lib. de grat. Chriſti cap. 47. hæc habet: *Si ergo conſenſerint* (Pelagiani) *nobis: non ſolum poteſtatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene* (quam illi à Deo eſſe admittebant) *ſed ipſam quoque voluntatem & actionem*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*actionem diuinitus adiuuari; vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamq; eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in quo nos ſua, non noſtra, iuſtitia iuſtos facit, vt ſit vera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adiutorio gratiæ Dei (quantum arbitror) inter nos controuerſiæ relinquetur.* Magiſtro Auguſtino in Pelagij errore, ad rem præſentem quod attinet, referendo illius addictiſſimi diſcipuli concordant. Iſidor. lib. Orig. §. *de hæreſibus.* Proſper epiſt. ad Ruffum de grat. & lib. arbitr. ex Hiſtoriographis, Baronius tom. 5. Annal. fol. 175 & anno 410. à num. 6. anno 411. numero 52. Vincent. Lirinenſ. cap. 34. Platina in vita Innoc. Gabriel. Prateol. lib. 14. de vitiis, & dogmatibus hæreticorum verb. *Pelagius:* noſter Iacobus Gualterius ſæculo 5. ad ann. 500. fol. 373. cap. 3. Caſtro de hæreſib. verbo gratia: ex Scripturariis & controuerſ. Maldonatus in cap 13. Ioan. Card. Tolet. in c. 9. ad Rom. Iuſtinian. & Cornel. à lapide in c. 2. ad Philippenſ. Bellarm. Card. 1. de gratia & lib. arbitr c. 1. Valent. in 2. d. 8. q. 1. pun. 5 Becanus tom. 1. ſummæ Theolog cap. 16. de prædeſtinat. qui & ex Scholaſticis doctoribus ſunt: ex quibus item ſunt Magiſter in 2. d. 28. vbi S. Bonauentur. dub. 1. Scotus, & Durand. cum ſuis ac cæteri Magiſtri Commentatores §. item Thom. quodlib. 1. art. 7. atque obiter citato loco ex 2. 2. & 1. p. q. 23 de prædeſtin. vel tangit, vel ſupponit, ad quæ loca, vel diſtinctionaria, quicunque Dominicani ipſum, vel Magiſtrum interpretantur. Adde etiam noſtros Scholaſticos omnes S. Thomæ interpretes, præſertim Vaſquez 1. p. d. 89. num. 1. & 2. 1. d. 91. c. 2. n. 7. & fuſius adhuc 1. 2. de neceſſitate gratię eruditiſſime diſputantem tom. 2. à diſputatione 186. ad diſputationem 197. incluſiuè, in cuius tomi fine, exemplar Concilij Palæſtini adhibuit Soarius tom. 3. de auxiliis cap. 1 & tom. 1 de grat. prologom. 5. §. 2. & 3. vbi ſubdolas Pelagij profeſſiones fidei detegit, Prologom. 6. toto Pontificum, & Conciliorum acta producit Herize diſp. 25. art. 2. non exigua eruditione. Ruiz de Montoya tom. 3. in 1. part. tract toto 3. de prædeſtinationis exordio per ſolas vires naturæ, eadem de Pelagiano errore d. 14 ſect. 1 num. 2. & aliquoties obiter attigit, & ſupponit, erroris Semipelagiani, & affinium aliorum toto eo tractatu ex inſtituto confutandorum occaſione, Nouiores ipſo Scholaſtici Recentiores Semipelagiano etiam, & affinibus ſententiis repellendis intenti, ne nominant quidem Pelagianum errorem. Memorandus tamen erat: quia ex eo, eiuſque principio de libertate creata tuenda vterque manauit, vt vidimus tomo 1. de Deo vno controuerſia 1. & 3. atque ex eiſdem principiis Theologicis, vterque diſiicitur.

5. Semipelagianus igitur error (quem proprius Hilarius, & Proſper Pelagianæ hæreſis reliquias vocant) ad iuſtificationem ipſam: immò & ſanctas operationes perfectiores, ipſique formali iuſtificationi ſubinde proximiores, gratiæ internæ Dei per Chriſtum neceſſit. item Semipelagiani admittebat, ſolumque initium quoddam ad fidem, & ſalutem quantulumcunque exiguum, tenuiſſimæ congruitatis meritiuæ (quam obinde anſulam ſolum, & occaſionem vocabant) vt Dei gratia ad fidem ſupernaturalem efficaciter vocarentur, atque in ſanctitatem, & perfectionem etiam promouerentur exigebat. Illud vero initium, ſiue naturalis fidei actum, ex naturali aliquo, non illicito, ſed prudenti motiuo, ſiue naturali ſalutis deſiderio, & inde orta petitione, vel fidei, vel ſalutis eſſe, vt adeo gratia interna ad reliqua donaretur, & iuxta id Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis*, Ex diuina promiſſione donaretur. Requiri vero initij illius Deo à nobis ex viribus, bonoque naturæ vſu per ſalutis noſtræ explicitam, vel implicitam voluntatem, vt ſuam Deus ad cætera opem, & gratiam nobis adiungat ex illis Chriſti Domini, *vis ſaluus fieri*, ac ſimilibus ſaluti à ſe impertiendæ præmiſſis, à ratione vero probabant: quia, ni, quale quale, meritum aliquod ex noſtro vſu facultatis, ac boni naturæ nobis à Deo inditi, anſulave, & occaſio ipſi offeretur, nec libertatis noſtræ iura ſeruari putabant, neque æquitatem voluntatis, ac prouidentiæ diuinæ, ſi nullo libertatis noſtræ vſu expectato, neque ex parte noſtri, electi ad fidem, gratiam ſupernaturalem auxiliantem, & iuſtificantem, & gloriam demum differentia, & diſcretione ab eo qui non electus ad illa, ſed reprobatus eſt, imperio potius dominantis, quam iure regentis, nec ſine acceptionis perſonarum vitio, vnum ad ſalutem prædeſtinaret, alium vero pro ſuo tantum nutu non prædeterminaret, ſed prætermitteret. Vnde conſtat Semipelagianos meritum, vt ſummum de congruo ex viribus naturæ ad primæ gratiæ collationem, & prædeſtinationis noſtræ exordium, occaſionem, & principium ſolummodo poſuiſſe, ſicuti & ad reprobationem non prædeſtinatorum initium: vt mirandum ſit Doctores aliquot Scholaſticos demeritorum Semipelagianorum primæ gratiæ ſupernaturali, ac prædeſtinationi Dei initium poſuerint congruitate, aut condignitate ab ipſis aſſerta, fecerint quæſtionem: multoque mirabilius ex illis aliquos de condignis meritis locutos Semipelagianos ſatis leuibus fundamentis cenſuiſſe, vt videre eſt in noſtro Ruiz d. cit. ſect. 3. num. 3.

6. Ne vero poſt hac de eo, non ſolum opinio ſed quæſtio ſit, audiatur Hilarius epiſt. ad Auguſtinum ſub init. vbi de horum nomine, & errore ita ſcribit. *Nec negari gratiam ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum,* id eſt ſolummodo, *medium quærat; non tamen ipſa iam valeat:* & Caſſianus, qui eorum creditur ab eis Theologis Præceptor collat. præſert. 13. ſic fatur: cap. 13. ſub init. *Occaſiones quodam modo Deus quærit, quibus humanæ ſegnitiei corpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur: dum eam ſub colore cuiuſdam deſiderij, ac laboris impartit; vt nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeueret, dum exiguis quibuſdam, paruiſque conatibus tantam immortalitatis gloriam inæſtimabili tribuit largitate.* Id quod toto deinceps cap. confirmat, & lib. 12. de inſtitutione renunciat. cap. 11. & 13. vt ſcilicet meritum diuinæ largitati ex nobis prætentum præ ſui tenuitate & gracilitate, gratuitæ Dei ſuæ gratiæ, & gloriæ tandem donationi, & largitati non magis, quam ſi non præcederet, officiat: videaturque à Dei bonitate occaſio in titulum coloratum (vt aiunt quæſita potius, quam à nobis oblata, ne irrationabilitatis ipſius largitas accuſetur, & aperto videatur conuicta: cognouit, faſſuſque id de Semipelagianis eſt Auguſtinus de prædeſtinat. Sanctor cap. 2. vbi ſolutionem hanc ipſorum ex tenuitate meritorum noſtrorum primam gratiam ac prædeſtinationis proinde initium præcedentium ab ipſis datam ſic refellit: *Videte ſi aliud agitur iſto modo, niſi, vt gratia ſecundum merita noſtra detur quolibet modo,* (ac ſi dicat tenuiſſimo ac vix congruo) *ac ſic gratia non ſit gratia:* quantumvis enim exigui meriti remuneratio illa ſit, gratuita prorſus, & liberalis ipſius donatio non eſt: quare nec ipſa gratia erit: denique Caſſianus cit. lib. 12. prætentorum meritorum primæ gratiæ, & initij prædeſtinationis noſtræ conceptis verbis excludit condignitatem c. 14. ſic fatus. *Dicimus enim ſecundum Saluatoris ſententiam* (recitatam ex 7. Matth.) *dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inueniri; ſed petitionem, pulſationem, & inquiſitionem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, id, quod petimus dederit.* Ex quibus ſecunda noſtri Ruiz re ſuper hac concluſio num. 8. ſcilicet, & ſi non condignitatis, proportionem, tamen aliquam abſolutè talem propriorum meritorum ad primæ gratiæ, atque prædeſtinationis initium fuiſſe à Semipelagianis admiſſam confutatur, cum expreſſe in illis colorem, ſeu titulum ſolum coloratum, & occaſionem à Deo potius quæſitam libertatis exercendæ recognouerint. Aliud vero delirium, in quod acti ab Auguſtino Semipelagiani ſunt, de meritis, demeritiſque conditionatis infantium ante vſum rationis correptorum refellere, quare & referre præſentis inſtituti non eſt, cuius nihil refert, quæ, & qualia merita gratiæ primæ, & prædeſtinationis exordio præcedant, dummodo ex propriis viribus orta aſſignentur. Vbi autem diſput. actionis referre merita hæc conditionata ſemipelagiana poſſunt, egimus d. de ſcientia media, & controu. de merito agemus; nec diximus pauca controu. de Incarnat.

7. De Semipelagianorum errore dubium Scholaſticis, & controuerſiſtis ad rem præſentem eſt, an perſeuerantiam per occaſiones ſingulas in fide, bonis operibus, iuſtitiaque, & ſanctitate, ac ſubinde electione ad gloriam conferendam de facto, & executiue merita ex viribus naturæ, vltra eam, quæ ad primam gratiam internam, & prouidentiæ ſupernaturalis, ſiue prædeſtinationis initium neceſſario præire docebant, prærequiſierit. Noſter Ruiz.

ſect.4. prætenta merita naturalia non ſolum ad primam gratiam, & prædeſtinationis initium, ſed ad perſeuerantiæ initium, & gloriæ conferendæ voluntatem multa eruditione, & ponderatione contendit, & in primis verbis illis Caſſiani primo eius teſtimonio recit.n.6.ex collat.13. num.13. *Dum exiguis quibuſdam, paruiſqueconatibus tantam immortalitatis gloriam inæſtimabili tribuit largitate*, videtur euinci. Maxime, cum ſeq.cap.14. perſeuerantiæ vnius præ alio primam rationem, & radicem arbitrij in bono prauoue ſuæ naturalis facultatis vſu collocet tandem. Secundo: quia niſi Auguſtini & Semipelagianorum diſputatio eſſet de electione ad gloriam, & perſeuerantiæ donum, fruſtra recurrerent ad merita naturalia conditionata diuerſa infantis cum Baptiſmo decedentis, & conditionata naturalia demerita alterius abſque illo decedentis, ſi diutius viuerent, in quibus electio ad gloriam abſque eorum operibus eſt, & in adultis, quibus prędicatum Euangelium non eſt. Tertio: quia de prædeſtinatione, ſeu electione ad perſeuerantiam, & gloriam lis Auguſtino & aſſeclis contra Semipelagianos fuit: ſcribente Hilario epiſtola ad S. Auguſtinum in columna 2. *Quod autem dicit ſanctitas tua: neminem perſeuerare, niſi perſeuerandi virtute percepta: hactenus recipiunt Maſſilienſes: vt quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.* Subinferius: *Nolunt iſtam perſeuerantiam ita prædicari, vt non, vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Vnde columna 3. *Cæterum quidlibet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe amittere, & retinere propria voluntate contendunt; quod tunc falſum eſſet: ſi verum putarent eam quoſdam perſeuerantiam percepiſſe, vt niſi perſeuerantes eſſe non poſſent. Inde eſt, quod & illud pariter non accipiunt: vt eligendorum, reÿciendorumque eſſe definitum numerum velint.* Hilarij relationi conſonat Proſper epiſt. ſua ad Auguſt. poſt med. ſcribens. *Maſſilienſes refugere fateri: Deum ſecundum propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ aliud vas condere in honorem aliud in contumeliam*, ac ſtatim. *Nec acquieſcunt electorum numerum, nec augeri poſſe, nec minui*: inferiuſculè. Quibus epiſtolis de hoc Maſſilienſium vlteriore errore circa donum perſeuerantiæ certior factus Auguſtinus fuit, vt conſtat ex eius libro de bono perſeuerant. c.6.ſub initium, vbi eiſdem Hilarij verbis ſcripſit. *Sed nolunt, vt ſcribitis, iſti fratres ita hanc perſeuerantiam prædicari vt non vel ſupplicetur emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Cum autem c.2. & citato c.6. ac 17. meritis ex gratia ortis bonum perſeuerantiæ poſſe à nobis obtineri Catholice, & fusè probet: tamen eo cap.17. prope med. merita perſeuerantiæ etiam Semipelagiana his rejicit & incuſat. *Sed hæc inquiunt, vt à Deo dentur nobis fides impetrat quæ incipit à nobis: quam fidem & incipere & habere & in ea vſque in finem permanere, tanquam id non accipiamus, noſtrum eſſe contendunt*: & infra. *Nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide*: ſiue formata per gratiam, ſiue informi vt è libri totius contextu claret, & lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap.12.13.& 14. contra Maſſilienſes de matura morte in gratia, quæ perſeuerantia clauditur prædeſtinatorum, nullis humanis meritis, ſed gratia Dei contingere fusè contendit: conſtat ergo ex dictis Semipelagianos perſeuerantiam, & electionem ad gloriam, nec ſolam primam gratiam meritis naturalibus, & ex arbitrij noſtri viribus expreſſe tribuiſſe.

8. Cæterum Vaſquez noſter 1.p.d.89.c.5.notab.3. §. *ex quibus* & duobus poſtremis, ex quo & aſſeclæ nonnulli, cenſent ſemipelagianos nullatenus amplius meritis noſtris ex nuda facultate arbitrij noſtri oriundis tribuiſſe, quam ad primam gratiam, & prædeſtinationis exordium formalem, & proximam meritiuam congruitatem, quin ad gratiam vlteriorem perſeuerantiæ per occaſiones ſingulas atque electionem ad gloriam ſubſequutam, vlterius à primo meritum ex propriis viribus congruum requirerent: & quamvis Ruiz noſter accurata, ſummaque ſua, & ſingulari eruditione oppoſitam ſententiam adeo vt vidimus, illuſtrauerit: video in aliorum mentibus indagandis, tam profundam noſtri Vaſq. ingenuitatem, vt in iis, quæ ad eruditionem Theologicam, atque alienarum mentium penetrationem ſpectant, ſemper aduerſarios quoſque vicerit: id quod & oppoſitis teſtimoniis perpenſis (quæ ipſi erant ex vſu aliter frequenti, & notiſſima) in re præſente eueniſſe comperio: quare, & eidem Vaſquez ſubſcribo, Ratio eſt: quia, ſi ad ſubſequentia opera omnia, quibus perſeuerantia obtinetur, merita pure noſtra, ſolaque arbitrij facultate prærequiri cenſerent, non proprius Pelagianorum reliquiæ à Proſpero & Hilario dicerentur, quam ab Scholaſticis ſemipelagiani, vt cenſet Ruiz ipſe ſect.1. num 2. quia inquit, non dimidium erroris Semipelagiani, vt iure Semipelagiani dici poſſent, ſed eius perexiguam partem, vt cuiuſvis totius reliquiæ eſſe ſolent, pertinebant: ſi enim ad opera omnia Dei gratiam omnem vltra primam, ad fidem, & conuerſionem perfectam noſtris meritis præueniri docerent, non per exiguam ſed magnam, & dimidiam, ac vltra aſſerebant erroris, cum gratiam in omnibus arbitrij viribus ſubiicerent, neque eius præcedentiam ad abſoluta merita, gloriæ etiam facilius exercenda, quam Pelagius admiſit, faterentur: Vlterius Ruiz ipſe ſect.5. Caſſiani in ſuo, & Maſſilienſium errore doctrinam inconſtantem, & aduerſam per capita notans, quartam eſſe vult num.7. quod Maſſilienſes excepta fide, & ſalutis deſiderio ad reliqua opera, & tentationes vincendas gratiam Dei requirerent; ſecus Caſſianus, vt ſtatim probat num.8. Secundo Proſper cit. epiſt. hanc ex Maſſilienſium doctrina refert ſententiam, qua videbatur oppoſitum verbis primis confirmari. *Ad gratiam qua in Chriſto renaſcimur per naturalem petendo, quærendo, pulſando perueniri, vt ideo accipiat, ideo inueniat, quia bono naturæ bene vſus ad ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope valeat peruenire.* Quamnam initialem gratiam, cuius ope ad ſaluantem gratiam poſſit homo peruenire intelligit ex doctrina Maſſilienſium Proſper? An illam, quæ per occaſiones ſingulas ad perſeuerandum, & opera prima vocationem gratiæ ſubſequentia, quibus perſeueratur. Hanc nequit intelligere: ſiquidem ea initialis gratia non eſt, cui in ordine gratiæ, ac prædeſtinationis; in quo alia gratia præcedit, cui ordine prædeſtinatiuo gratiæ vlteriores catenatæ poſteriores ſunt: quare nec in eo ordine eſſe, ac dici initiales poſſunt; ſed nec talis dici poteſt reſpectu operis cuiuſque perfecti ex iis, quibus per occaſiones ſingulæ perſeuerantia habetur, & quibus omnibus perſeuerantia tota adæquatè continetur. Si enim ad eas omnes, & ſingulas gratias merita naturæ præcedunt, nullo reſpectu ſui operis, quo perſeuerantia, & gratia ſaluans obtinetur initium eſt: cum meritum naturæ, vt ſui initium ſupponat: quare & implicat reſpectu ſui operis gratiam initialem eſſe: ſolum, ergo gratiam initialem in ordine gratiæ & prædeſtinationis aſſeri à Maſſilienſibus Proſper refert, quæ ſola illa ſit, quæ in ordine gratiæ, & prædeſtinationis prima ſit; ex qua catena illa prædeſtinationis inchoatur, cuiuſque ope actus primus perfectæ fidei, & conuerſionis elicitur, & ad quem reliquæ gratiæ ad opera reliqua quibus, & perſeuerantia, & ſaluans gratia obtinetur, ſuo quæque gradu ſuccedunt. Perperam autem & contra contextum, immo & textum, ſeque ipſum Ruiz ſect 3.n.9. ſine initialis gratiæ nomine gratiam creationis, & naturæ ipſius noſtræ intelligit: tum, quia ipſo teſte, meritis naturæ nemo ſemipelagianorum tantum tribuit, vt ſine gratiæ Dei ſupernaturalis opitulantis ope ad ſaluantem gratiam perueniatur: tum etiam, quia gratiæ ſupernaturalis opitulatio, & adiutorium neceſſarium arbitrio naturali noſtro, vt ad ſaluantem gratiam perueniatur textu ipſo exprimitur: *ad ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope valeat peruenire*; Opis autem non intrinſeca cuiuſque facultas, & poteſtas, quæ iuuatur eſt, ſed adiutorium alienum vt patet: quare nec initialis gratia quæ opem naturæ fert gratia creationis & naturalis arbitrij facultas cui illa fertur eſſe intelligive poteſt.

9. Tertio probatur: quia Caſſianus Semipelagianorum Dux vulgo, & à Ruiz ipſo habitus ſæpe merita naturæ Dei ad gratiam præuenire, ſæpe ab ea præueniri docet cit. locis, vt videbimus cert.2. de ipſius cauſa agentes; nec de viro ingenio, & eruditione præſtantiſſimo toties ſibi eiſdem fere locis indigna, mediocris adhuc literaturæ, homine inconſtantia contradicere credi conſtanter poteſt: quare, & initialem, quam diximus, gratiam meritis naturalibus arbitrij præueniri, in perfectioribus autem, & vlterioribus à gratia arbitrium præueniri cenſuiſſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fuiſſe credendus, vt minimum, eſt, ni eius mens ad Catholicum ſenſum omnino reducenda poſſit intelligi. Quarto Proſper epiſtola ad Sanctum Auguſtinum ſub initium Maſſilienſium ſententiam ſic ſcribit. *Qui autem credituri ſunt* ( fide imperfecta ) *quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda* ( perfecta vtique ) *manſuri ſunt præciſe ante mundi conſtitutionem Deum: & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum quos gratis, vocatos*, ( quia adeo tenuibus, & perexiguis naturæ meritis, quæ gratuitæ; vt ex Caſſiani ſententia vidimus, vocationi non officiant ) *dignos futuros electione* : ad regnum ſuum meritis ex gratia ortis, nec ſolius naturæ, in quibus non dignitatem, ſed vix proportionalitatem ad prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam Semipelagiani, vt vidimus, agnoſcebant ) *& de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit*, quibus ad prædeſtinationis gratiam ſeu, quod idem eſt, electionem ad regnum, & vocationem ſecundum propoſitum, merita fidei imperfectæ præcedere in Maſſilienſium ſenſu docet: indeque vocationem, qua deinceps iuuetur ad fidem, & reliqua, & perſeuerantiam ex gratia indebita naturæ, qua ad regnum demum perueniatur, debita autem condigne fidei perfectæ, & operibus ſanctis ex gratia, & vocatione Dei ortis, & charitate formatis, atque ex horum omnium bono in gratia deceſſu præſcientia, prædeſtinationem, ſeu electionem ad regnum & vocationem ſecundum propoſitum abſolute inchoari: quæ omnia præter influxum meritorum naturæ in primam vocationem, & prædeſtinationis initium Catholiciſſima ſunt, & in eo ſolum Semipelagianos erraſſe oſtendunt manifeſte. Quinto idem Proſper eadem epiſtola poſt medium clarius adhuc in eo Maſſilienſium errorem conſtituit. *Cum duo*, inquit, *ſint quæ hominis operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe quam gratiam*: hæc noſtræ, & aduerſæ ſententiæ æque fauent; ſed pergit. *Et initium ſalutis ex eo, qui ſaluatur, non ex eo credendum eſſe ſtare, qui ſaluat*. An non ſalutis initium illud realiter formaliter eſt, ex quo primum bona valetudo inchoatur, non autem in quo illa augetur, & perficitur? Inchoatur vero ſalus prædeſtinati in prima gratia, & vocatione, & prædeſtinationis exordio; reliquis verò ad opera, & perſeuerantiam gratiis, & vocationibus vlterioribus, quibus, & intermediis ex quibus catenatis, ordo, & diſpoſitio extrinſeca prædeſtinationis texitur, augetur, & perficitur: ergo ſemipelagiani merita naturæ ad primam gratiam, & vocationem, ac ſubinde prædeſtinationis initium, non autem ad gratiam vlterioribus operibus, & perſeuerantiæ neceſſariam, quibus valetudo bona augetur, & perficitur, noua naturæ merita per occaſiones ſingulas requirebant. Sextò, Auguſtinus ſemipelagianam mentem expreſſit. *Sed hæc, inquiunt, vt à Deo dentur, nobis impetrat, quæ incipit à nobis: quam fidem, & incipere, & habere, & in ea vſque in finem permanere tanquam id non à Domino accipiamus noſtrum eſſe contendunt*. Septimo; quia eo ſolum ſatis ad ſuum intentum Maſſilienſes habebant, vt non irrationabili munificentia ( vt Caſſian. aiebat ) alter ad tantum bonum prædeſtinationis ad gloriam eligeretur, atque ab altero non prædeſtinato, citra huius querelam diſcerneretur.

10. Porrò noſtri Ruiz teſtimonia, & argumenta in aduerſum facile diluuntur. Atque, à clarioribus inchoando, certum eſt ex dictis d.3.quæſt.3. Quod Vaſq. noſter citato loco ſupponit, & præcipue impugnat Ruiz teſtimoniis præfatis: Maſſilienſes nimirum de alia electione antecedente ad gloriam diuerſa ab ea, quæ in prædeſtinatione, ſeu prædeſtinatio ipſa eſt, nuſquam eſſe locutos: quia de alia, vt ea quæſtione vidimus, nulla veterum, ſiue Patrum ſiue Scholaſticorum diſputatio: immò mentio adhuc fuit: neque ante Recentiores proximi ſæculi fuit controuerſia. Secundò recurſus Maſſilienſium ad merita conditionata naturalia infantium, & eorum, quibus prædicatum Euangelium eſt ad electionem aliam formalem ad gloriam, quam ad partialem prædeſtinationem adultorum ad fidem, vel totalem infantium ſolummodo Maſſilienſibus excogitabatur, vt ex datis textibus patet. Tertiò: teſtimonia, quibus Maſſilienſes negaſſe dicuntur perſeuerantiæ donum ex Dei gratia per occaſiones ſingulas & omnes impertitæ, niſi merita naturæ noua pro eis omnibus & ſingulis in prædeſtinato præcederent, id minime probant, neque ex eo, quod Dei gratiam eſſe admitterent, ex meritis naturæ eſſe negarent. Siquidem adeo naturæ merita extenuabant, vt, primæ etiam gratiæ donationi gratiæ, & liberalitati Dei non officiat. Negant autem, quia ex primæ gratiæ auxilio ſecundum propoſitum, ſiue ordine prædeſtinatiuo ex naturæ viribus à Deo obtento, merito condigno, reliqua à Deo obtineri gradatim cenſebant: quod vlterioribus gratiis formalem gratuiti ratioñe in ſe ipſis tollit, fatente Auguſtino etiam cum Catholicis omnibus; tametſi in radice primæ vocationis, vnde catenatè proueniunt gratiæ ſint, vt cum Catholicis etiam, Maſſilienſes admittunt: catenus, vt ipſis non negetur, primam illam gratiam, vnde catena illa, & ſeries prædeſtinationis inchoatur, gracilibus ſuis naturæ meritis inchoetur: in quo ſolum à fide deficiunt. Demum: quod abſolutè prædeſtinatus poſſit à perſeuerantia deficere, ac non prædeſtinatus perſeuerare, ac ſubinde ſaluandorum numerus poſſit abſolute augeri vel minui: non ideo aiebant; quia ſemel prædeſtinati, & electi non electi eſſe poſſint defectu meriti vlterioris naturalis ad gratiam perſeuerantiæ vlteriorem, qua donum perſeuerandi confertur: vel contra ſemel non prædeſtinati, & non electi poſſint meriti naturalis exhibitione ad gratiam perſeuerandi, ad quam electi, & prædeſtinati de facto non ſunt, de facto peruenire ac numerum ſubinde prædeſtinatorum augere: id enim, bardis etiam quibuſque, apertam affert contradictionem, quod prædeſtinatus ſimul, & non prædeſtinatus eſſe quis poſſit; atque aliam in Maſſilienſium doctrina: quod prædeſtinatus, & electus ad perſeuerandum ex meritis naturæ in eorum doctrina ( vt aduerſarij contendunt ) neceſſario præſuppoſitis pro poſteriori naturæ, cum ad præſuppoſita merita, tum ad inde obtentam prædeſtinationem poſſit merita naturæ abolere: quod eſt implicatoria potentia, vt, quod factum iam eſt, fiat infectum; atque ex aduerſo non prædeſtinati ex præcedentia defectus meritorum naturalium vt prædeſtinationis ſuæ negatio abſoluta adeſſet, merita vt prædeſtinentur æqua implicatione poſſint apponere.

11. Solum ergo voluere Maſſilienſes, vtpote libertati arbitrij creati ſeruandæ attenti, totique intenti, electos & prædeſtinatos ad non perſeuerandum, ſicuti etiam non prædeſtinatos, libertatem in actu primo non amittere, vtique pro priori ad prædeſtinationem vel non prædeſtinationem: ac proinde non prædeſtinatos, & perſeuerantes, atque à num. electorum excluſos, primos, electos vero & perſeuerantes primos, ex quibus perſeueraturorum, ac electorum numerus augeatur: ſecundos eſſe abſolutè poſſe: quod certiſſimum, & Catholiciſſimum eſt, tametſi conſequentem impoſſibilitatê eorum ad extremũ oppoſitum prædeſtinationis in primis, & negationis prædeſtinationis in ſecundis ſuppoſitæ, quam Auguſt. & Proſper in ſua Catholica etiam doctrina, voce tenus aduerſa, attendebant, non curarint: errauerintque, quod ad prædeſtinationem coniunctim, & per modum vnius ſumptam, merita naturæ prærequiſierint, quatenus eius initio, & inchoationi per gratiæ primæ collationem, cui reliqua concatenantur, erroneè illa prætenderint, cum ad plenum arbitrij noſtri dominium, tum ad iuſtam, & rationabilem ex parte bonitatis diuinæ, de ſe æque in omnium beneficia propenſæ, prædeſtinati à non prædeſtinato, abſque vlla acceptionis perſonarum acceptione, diſcretionem tuendam. Hæc enim vna eorum vox, ratioque fuit apud Proſperum citata epiſt. circa med. *Quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint* (imperfecta illa fide, quæ primæ gratiæ ad perfectè credendum poſuit initium ) *pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et his quidem Semipelagianorum error ſatis propalatus ſit: tametſi aliquando nolentes, & coacti obiter neque ex inſtituto, & profeſſione in totum Pelagianum errorem incurrerint, vt poſtea notabo.

CERTA

## CERTAMEN II.

### *Semipelagiani erroris Princeps rigide exploratus: vbi de Caſſiani ſententia.*

1. MAgna de erroris huius anteſignano, & Patronis apud eruditos controuerſia quam claritatis gratia in duas partes diuidemus. Prima erit de eius Duce, & Patronis, cum primum ſectam fecit, de eaque in terminis à Patribus & Eccleſia diſputatum eſt, atque obſtinato contra ipſos à ſequacibus ſecta iſta propugnata. Secunda de Patribus, qui ante eius controuerſiæ in Eccleſia ortum obiter videntur, iudicanturque à non paucis, nec ineruditis Doctoribus illam tradidiſſe: quorum, etſi eam verè docuerint, diſpar eſt cauſa, vt patet: ſiquidem de rebus nondum ab Eccleſia diſputatis, nedum nondum ab ea ſtatutis ac definitis, at vero, maximè in rebus arduis, deficere humanum, neque pietate, eruditione, ingenioque indignum eſt, atque doctiſſimis ſapientiſſimis, & ſanctiſſimis viris inſuetum, vt primorum Philoſophorum, Patrum & ſcholaſticorum exemplis frequentiſſimis edocemur: in rebus autem ab Eccleſia diſputatis, nedum etiam definitis, & pro quarum parte altera eius ſtant Doctores præcipui, rationes, fundamentaque ſua, quæ ſubinde minus ſolida eſſe non poſſunt, alteri parti nihilominus pertinaciter adhærere iis fundamentis non apertè ſolutis, inſolubilioribuſque non productis, ſine ingenij doctrinæ, modeſtiæ, pietatiſque iactura fieri minimè poteſt. Hæc dixerim, vt rigidum mentis Patrum in hac re, & ſimilibus, vbi oporteat, examen, nec nobis, nec Doctoribus aliis impietati ab indoctis vertatur: vbi enim de re quapiam iudicium ferendum, dicendumq; eſt, nullam aliam pietatem inuenio, quam non mentiri. Nec minus pietatis habet vbi lapſi fuerint adnotaſſe: quia authoritatis ſuæ pondere incautos alios traheret in ruinam: veniamus ad primam examinis authorum erroris huius partem.

2. Eius vero Authorem, & Ducem Caſſianum extitiſſe quicunque eum à Semipelagianis cenſent indubitato tradunt; verum quidquid de eius in re hac doctrina ſit (de quo ſtatim) erroris eius Ducem non fuiſſe, & primum authorem, ſed ante ipſum vi argumentorum contra Pelagianum ſuum errorem, Iulianum ad Semipelagianiſmum temperaſſe, author nobis eſt Auguſtinus lib. 4. ex ſex quos contra ipſum ſcripſit c. 3, ſub init. Vbi hanc eius doctrinam, refert. *Ad capeſſendam perfectionem hominem adiuuari, quod ipſe poſuit* (vtique volens) pergit Auguſtinus, *volens intelligi hominem per ſe incipere ſine gratia, quod perficit gratia.* Cæterum, cum hic ſemel, vique argumentorum contra priſtinum ſuum errorem actus id docuerit: Caſſianus vero (ſi in eo errore fuit) non ſemel, nec aliud agens, ſed ſæpe, ex inſtituto productiſque fundamentis docuiſſe primo videatur, non immeritò eius erroris Dux haberi poterit. Sed tamen Caſſianum in eo errore fuiſſe non à Deo exploratum, atque alij plures iudicant, cenſeo, non tamen eum ante vtriuſque partis momenta perpenſa ab eo aſſero immunem. Et quoniam illis æque librandis iudicioq; de illo in re adeo apud eruditos controuerſa tandem doctrinæ, ingenij, ſanctitatis eius, examen, & iudicium præcedere oportet, certa de iis erga Caſſianum iudicia prĕmitto: & præter communem illam Maſſilienſium laudem ex Proſpero, ipſorum hoſte, epiſt. ad Auguſt. verſ. finem. *Multum nos, & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore ſupereminent.* Et ſub finem: *Meritis, atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat.* Quæ Caſſianum vtpote Maſſilienſium Sacerdotum præcipuum, ac Proſperi ſententia erroris eius Anteſignanum in primis tangit, ſunt de Caſſiani ipſius vita, doctrinaque ſpecialiſſima, & grauiſſima magnorum virorum teſtimonia.

3. De eo quippe eiuſque ſcriptis Proſper ipſe iam prouectior in ſuo Chronico, abſque vlla nota, ſummaque cum laude his meminit. *Ioannes Eremita cognomento Caſſianus in Maſſilia inſignis & facundus ſcriptor.* Gregor. Turon. 10. Hiſtor. Francor. capite 29. de Abbate Aredio agens Caſſianum cum Baſilio connumerat, & inter Sanctos Cænobiarchas: duo quippe Cænobia alterum virorum, alterum fœminarum inſtituiſſe author eſt Gennadius, S. Eugenius S. Lupicini diſcipulus regulæ Caſſiani addito *venerabilis* cognomento meminit, teſte Surio tom. 1. die 1. Ianuarij S. Iulian. Tolet. Archiep. 2. Prognoſticon. cap. 15. & 33. bis Caſſianum citat, & cum Auguſt. coniungit. Sygisbertus in Chronico anno 427. Caſſianum, vt virum Præclarum commemorat. Raphaël Volateran. lib. 13. antropologiæ verbo *Caſſianus* eius opera laudat impenſe. Genebrardus anno 421. pag. 435. illum inter Scriptores Eccleſiaſticos cum Euagrio, abſque vlla nota, recenſet, cumque à Leone Pontifice tunc Diacono Cardinali, vt contra Neſtorium de Incarnatione ſcriberet, rogatum fuiſſe ex Gennadio refert S. Benedictus in Regula cap. 42. & 43. & eius tandem Monachus Caſſiod. lib. de inſtitut. diuinar. lect. cap. 29. (cuius extant verba in Chronico generali S. Benedicti) centur. 1. capite 3, anno Chriſti 500. ait: *Caſſianum Presbyterum, qui conſcripſit de inſtitutione fidelium*, ſedulo legite. Gregorius vero Magnus Caſſiani lectione frequenter delectatus legitur, & S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus collationum lectione ad perfectiorem vitam vehementer accenſus apud noſtrum Gueſnay. lib. 1. c. 50. numero 6. S. Gregor. Turonenſ. lib. 10. hiſtor. Francor. c. 29. de Pelagia S. Aredij matre ait: Cænobium ædificauit, in quo, non modo Caſſiani, verum etiam Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ. Bernard. peculiari regula ſua c. 4. iubet pro ſpirituali profectu legi collationes Caſſiani. Tritemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis pag. 218. de Caſſiani operibus agit. *In his collationibus Sanctorum vtilis, & neceſſaria Monachorum inſtructio eſt.* Vincentius Bellouacenſis de S. Dominico collationes Caſſiani aſſiduè dicitur lectitaſſe doctrinæ eius generali non approbatione ſolum, ſed ingenti laude & commendatione ſubiuncta lib. 20. ſpeculi hiſtorialis c. 18. quem morem S. Thom. Aquinati fuiſſe in eius vita habetur; atque 2. 2. quæſt. 184. & 189. ad ſuam doctrinam de ſtatu perfectionis confirmandam Caſſiani, vt probatæ, nuſquamque ſuſpectæ authoritatis Doctoris teſtimoniis vtitur. Sanctus denique Patriarcha noſter Ignatius vigilantiſſimus omnium Caſſiani operibus, & collationibus in primis continuò legendis incubuit, Eandemque lectionem prodientium ad perfectionem omnem inſtructione Magiſtri Nouitiorum regulam eſſe voluit c. 1. de regula ipſius. Noſter Didac. Alvarez de Paz, t. 2. lib. 3. c. 4. pag. 5. *inſignes* Caſſiani collationes appellat, & omnem ſpiritus doctrinam continentes: eſt autem Alvarez inſignis Theologus & ſcripturarius Profeſſor, ac præcipuus noſtri ſæculi vitæ ſpiritualis Magiſter: noſter etiam Theophilus Raynaudus ſæculi noſtri Doctor, & ſcriptor facile princeps in ſuo Valeriano t. 2. n. 2. eaſdem collationes vocat *perfectionis medullam.* Eſt autem valde notandum collationem 13. Caſſiani, & tunc, nuncque habetur, habitaque ſemper fuit eas ſententias continere, ob quas præſertim Caſſianus à Proſpero lib. contra collatorem de Semipelagiano errore accuſatur, & carpitur. Item Eucherium Caſſiani ſcripta fuſius ſcripta in Epitomem redegiſſe teſtatur Gennadius de viris illuſtribus in Eucherio. Adorienenſis (etſi parum Caſſiano æquus) anno 451. quam epitomen vidiſſe ait Tritemius vbi proxime, teſtaturque Gennadius iam citandus, & Cardin. Petrus Damian. lib. 5. epiſtola 19. atque in Iudice operum Eucherij apud Biblioth. ſacram tria eius opera deſiderari dicuntur. Primum de laudibus Eremi ad Hilarium: ſecundum epiſtolarum ad diuerſos. Tertium compendium D. Caſſiani, & Dionyſ. Carth. opuſculum Garæi opera poſt collat. 13. Caſſiani ſub hoc titulo nuper appoſitum, *doctrina Catholica Dionyſij Carthuſiani pro præcedenti collatione ab ipſo ſubſtituta.* Nihil vero ibi doctrinæ eius collationis corrigit, ſed in ſummam omnia eius teſtimonia & rationes redigit ſolumque addit §. 4. quaſdam Proſperi regulas & obſeruationes, & §. 5. quoddam Ambroſij teſtimonium. Quanta vero Caſſiani laus eſt, duos adeo illuſtres Doctores ſuorum operum,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

operum, non probatores ſolum, ſed ad publicam vtilitatem compendia illa pro faciliori legentium vſu ſcripſiſſe.

4. Sed vero his, vel non lectis, vel non obſtantibus, Proſp. Aquitanicus Semipelagianorum, ſiue Maſſilienſium erroris, non ſequacem modo, ſed Patronũ, ac Ducem Caſſianum cenſuit, & opuſculo integro contra collatorem proinde confutauit: cuius præſertim authoritate effectum fuit, vt in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum ſub Gelaſio Papa, vti Apocrypha fuerint damnata, vt conſtat ex c. *ſancta Rom.* diſt. 15. Ado Viennenſ. in ſuo Chronico anno Chriſti 433. Semipelagianum oſtendere Caſſianum multis contendit: ex quo præcipuè Baron. Gualterus, Gordonius, & Alardus Gazæus eos in damnando de Maſſilienſium errore imitantur Vaſquez, Soarius, & Herize & Ruiz de Montoya citatis citandiſq; locis, & poſtremus hic cit. d. 14. ſect. 1. n. 4. ſect. 5. num. 11. concludit. Excuſatione propoſitionum hac ſuper re notatarum accuſari Eccleſiæ contra Caſſianum cenſuram memoratam ex c. *ſancta Romana* diſt. 15. ſed tamen ſi Illuſtrium eorundem, & eruditorum. Hiſtoriographorum (qui ſuper hac, & aliis eius doctrinis referendis Caſſianum accuſant) varietas, & inconſtantia, ac ſecum ipſis repugnantia animaduertatur, haud magni eorum damnatio fors videatur habenda. Et de Proſpero quidem Gennadius Maſſilienſis Epiſcopus, vir ſanctitate, & doctrina ſub illius tempora præcellens, de viris illuſtribus ad librum Hieronymi quem *de Proſpero ſcripſit, & librum eius aduerſus opuſcula adiecto ſuppreſſo nomine Caſſiani, quæ Eccleſia Dei ſalutaria, ille infamat nociua.* Et quamvis eum obinde cum Caſſiano Sixtus Senenſ. 6. Biblioth. annot. 184. & Ioan. Motinenſ operibus Proſperi ipſius induſtria cuſis erroris Maſſilienſis incuſent: Vincentius tamen Bellouacenſis, pluſculum S. Th. antiquior, 4. p. Hiſtor. lib. 20. c. 58. & S. Antonin. 2. p. hiſtor. tit. 11. c. 11. Gennadij hanc de Proſpero querelam, dum ſine huius defenſione, illiuſq; reprehenſione memorant approbare videatur: immò S. Antonin. tit. 10. c. 10. expreſſe approbauerat dicens Caſſianum à Proſpero *curſiue, & ſuperficialiter* lectum eſſe: potuiſſeque ipſum quidquid in Caſſiano reprehendit, in bonum ſenſum interpretari: vti etiam Gaſpar Caſſalius cenſet tandem lib. 1. de quadripartita iuſtitia cap. 31. etſi initio dubitauerit: de quo nos, ac de Gennadij doctrina inferius. Iam vero, quo loco Adonis ac reliquorum hiſtorialium ſuper Caſſiani doctrina authoritas ſit reponenda, cum ex falſo ab eiſdem Caſſiano impoſitis, tum ex eorum circa præſentem eius errorem referendum inconſequentia, & varietate videamus. Ado enim cautiſſime de gratia, & libero arbitrio Caſſianum legendum, monens addit, ſed & *Encratitarum hæreſi* (quæ teſte Rabano Mauro carnium eſum, & coniugij vſum illicitum eſſe docebat) *incautius fauit*: cum tamen nihil ei errori ad ſonum in ſcriptis Caſſiani legatur, notatumve ab alio vſquam fuerit.

5. Ado item, ex quo etiam Baronius Gualterus, & Gordonius aiunt Caſſiani opera expurgata à Caſſiodoro fuiſſe qui tamen c. 29. diuinar. inſtitut. à victore quodam (ſcilicet Martyritano Epiſcopo) id præſtitum teſtatur. Baronius vero tom. 5. pag 654. & Gualterus addunt: ea Caſſiani opera ab Eucherio etiam fuiſſe correcta Alardus Gazæus Dionyſium Carthuſianum collat. 13. correctorem adiicit, cum tamen vterque nihil doctrinæ ac fundamentorum in ſuo Epitome (præſertim ex collat 13. Dionyſ.) omiſerit, vt vidimus ſub numeri tertij finem: quin Dionyſius opuſculo ibi citato, ac eiuſdem Gazæi opera collationi illi adiuncto §. 2. hęc à Proſpero vehementer accuſata Caſſiani verba affert quod *reſiſtentes quoque, & longe poſitos vocet: inuitos alliciat ad ſalutem: peccare volentibus ſubtrahat copiam voluntatis explendæ.* Et ſane cum Caſſiani propoſitiones collationis illius 13. quibus præcipuè, & ex inſtituto impugnandis librum totum contra collatorem Proſper euulgauit, quibuſque Caſſianus Maſſilienſium hæreſi conſonaſſe, vel adſauiſſe in primis videtur, in ea collatione quam nunc habemus illis ipſis verbis, quibus à Proſpero confutandæ proponuntur, extent: erroris Maſſilienſis à tot grauiſſimis eius correctoribus caſtigatum, correctumque nihil fuiſſe, euidentiſſimum eſt. Denique Baronius tom. 5. citata pag 654. ait: Caſſianum, quem nunc habemus, ſanum eſſe, & ab omni prorſus errore purgatum, (quod, & Caſſiodorus vbi proximè, & Roſveidus in vit. Patrum Prologom. 6. cenſuere) cum tamen extet nunc collat. 13. quod toto illo ſuo libro contra collatorem reprehendit Proſper, cuius authoritas, vel vnice illum de errore Maſſilienſium fecit ſuſpectum: quare dum id etiam Catholicum Baronius iudicat, dum totum Caſſianum, quem habemus, ſanum prorſus approbat, totum fundamentum ipſum de Maſſilienſium errore appellandi & condemnandi euertit, ac rigidæ ſuæ cenſuræ neſciens contradicit: ſed nec in magnis adeo viris totis hiſtoricis, conſequentia tam rigida quærenda exigendaque eſt. Potiori iure expoſtulandus in conſequentiæ huius venit eximius noſter Doctor Franciſcus Soarez Theologiæ Scholaſticæ ſæculi proximi columen alterum, conſequentiæ proinde, & tenax, & Patronus, qui cum Baronio, & citatis ipſo antiquioribus Maſſilienſis erroris damnat Caſſianum 1. part. lib. 2. de prædeſtinat. (qui de eius cauſa eſt) c. 7. & tom. 1. de grat. Prolog. 5. c. 5. cum tamen in opuſcul..... dixerit ſe nihil erroris in Caſſiano, quem vtique cum integra collatione 13. habemus, inuenire. Denique doctrinæ Caſſiani hac ſuper re infamatores Hiſtorici in eo etiam ſecum, & cum veritate certant: quod Gualterus, & alij recte Caſſianum de Chriſti gratia contra Pelagium ſcripſiſſe primum lib. de Incarnatione dicunt; poſtea vero in collationibus lapſum in Semipelagianiſmum eſſe. Conſtat autem ex ipſius Caſſiani præfatione lib. de Incarnat. illum collationes ſcripſiſſe antequam opus de incarnatione Leonis Pontificis hortatu contra Neſtorium aggrederetur, vt notauit Gennadius, fateturque Baronius tom. 5. pag. 567. qui abſque fundamento vllo, gratiſque ait, Leonem id muneris Caſſiano demandaſſe, vt quæ ex Semipelagianiſmo ex collationibus anno anteriori, & ante Concilium Epheſinum, eius operis occaſione tradiderat, retractaret, nec ſolum contra Neſtorium ſcriberet; immò, & contra omnem veriſſimilitudinem cum nulla in opere illo de incarnatione Caſſiani anterioris ſuæ doctrinæ mitior interpretatio, nedum retractatio inueniatur: quorum alterum, & tunc neceſſario feciſſet, ſi à leone de ſuſpicione eius hæreſis monitus, eiuſque purgandæ Pontificio conſilio, & hortatu illud opus ſuſciperet. Quin vndecunque ſuſpicionis conſcius, dum viueret, eam à ſe, vel retractatione, vel ſenſus Catholici ſui explicatione, vel ſententiæ qualiſcunque eſſet ſuæ defenſione, ſuæ doctrinæ, & animi ſanitatem neceſſario, & ex inſtituto oſtenderet: quod præſtitum nuſquam ab ipſo fuit. Quæ autem ex Caſſiano his Authoribus errorem ſonant, inferius producemus oportunius:

6. Ex aduerſo autem Caſſianum ab omni Semipelagianæ hæreſis nota & ſuſpicione iuſta liberant Gennadius eius ſub Chryſoſtomo condiſcipulus loco citato Ioan Dominici Dominicanus Cardinalis, & Epiſcopus Rhaguſæus S. Antonini (ipſo teſte) vnicus Magiſter libro cui titulus *amor charitatis* & S. Antoninus citatus, ac fere ad verbum recitatus n. 4. & Bellouacenſ. n. 3. Henric. Cuychius Epiſcopus Ruremundenſis annot. 1. cenſoria in Caſſianum Petrus Ciaconius annotationib. in Caſſianum propoſit. 2. Peſantius 1. p. q. 23 a. 5. d. 2. Gaſp. Caſſalius cit. etiam eod. n. 4. fusè verò ac recentiſſimè multo ingenij, & eruditionis pondere noſter Ioan. Bapt. Gueſnay edito lib. cui tit Caſſian. illuſtrat. Lugd. anno 1652. antiquiores benignas aliorum Caſſiani interpretationes referens, & tacitus lib. 1. c. 62. probans: quib addi merito poſſunt, quoquot ex priſcis Patrib. & ſcriptorib. eius doctrinam abſolute commendaſſe retulimus num. 3. præcipue Eucher. & Dionyſius Carthuſ. eius, nullo mutato, per Epitomem tranſcriptores, & Leo Papa, qui paulo ante habitum Epheſinum conſilium, cum ſcilicet Cyrillus Alexandr. aliique Catholiciſſimi, & doctiſſimi Patres florebant, ſcribendi contra Neſtorium Caſſiano curam, quaſi delectu mandauit: quod homini erroris Semipelagiani, & ex iam vulgatis, vt vidimus collationibus ſuſpecto (etiam in Doctorum probatæ vndique fidei Catholicæ penuria) non, niſi per imprudentiam ſummam mandaretur. Adnumerari defenſoribus Caſſianæ in re hac doctrinæ Catholicæ, docti plures Recentiores poſſunt, quos ita cenſentes audiuimus, tametſi prælo defenſiones Caſſiani non dederint: in quibus Pater Ioan. de Ituren emeritus Theologiæ Profeſſor, qui modeſtiæ cauſa Ioan. pij nomine Comment. in 1. p. S. Th. prælo

emiſit, ac de Caſſiano ab ea ſuſpicione liberando doctum manuſcript. reliquit. And. de Sauſſay. Illuſtris Doct. Sorbon. in ſuo Martyrologio Gallicano ipſum inter laudatiſſimos Patres numerat, & ſupplemento ad 10. Kalend. Auguſti ſingula ipſius ſcripta, collationes etiam, non approbat ſolum, ſed magnis encomiis extollit: verba recitat citatus noſter Gueſnay c. 63. verſ. fin. Quanto vero iure, & fundamento præfati DD. de Caſſiano cenſeant ex eius teſtimoniis pręcipue, & interpretationibus, quæ aduerſariis ipſum damnantibus occaſionem dedere iudicandum erit: interim illud ad doctrinæ huius in Caſſiano ſanctitatem credendam, & abſolute, & maxime contra aduerſarios omnes, (ſi Vaſquez excipias) plurimum facit: quod Caſſianus ſancti Chryſoſtomi Diaconus, & diſcipulus ipſique amiciſſimus, & amantiſſimus ſemper fuerit, & qui non ſolum irridente verum in aduerſa triſtiſſimaque fortuna Chryſoſt. adhæſerit, eiuſq; cauſam egerit fidiſſimè, & cuius manu de rebus ſuis afflictis, iniquoque exilio Chryſoſtomus Innocentium primum per litteras fecerit certiorem, vt conſtat ex Innocentij eiuſd. epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum, vbi ait: ſe Chryſoſtomi de exilio ſuo litteras manu Caſſiani accepiſſe: vt inde conſtet male Siggebertum in ſuo Chronico, anno 427. dixiſſe Caſſian. à Chryſoſtomo eiectum Galliam aduentaſſe, cum ne Chryſoſt. exilia ab illo eiuſque amicitia potuerit diuelli, ſed ipſum potius exulem indiuiduè comitatus fuerit, vt conſultius cenſet Baronius, atque clauſula epiſtolæ Innocentij pręfata ſatis innuitur: quare Galliam, vel Chryſoſtomi cauſa ab eius inimicis exulem aduentaſſe probabilius alij cenſent; vel vita illo functo ſponte illuc veniſſe: cum ergo Caſſianus Chryſoſtomi addictiſſimus diſcipulus, fidentiſſimuſq; fuerit, & ſententię Caſſiani ac verba prope modum eadem Magiſtri ſui amantiſſimi Chryſoſtomi ſint (vt ſtatim, ac poſtmodum de Chryſoſt. agentes videbimus) cum, quæ catholicè prorſus in re præſente omnibus ſonant: tum, quæ minus catholice aduerſariis videntur ſonare: certe non alio ſenſu à Caſſiano quam à Chryſoſt. dicta credi ab æquis rerum æſtimatoribus debent. Quo circa Vaſquez ex aduerſariis ſolus in iudicio hoc conſequentiam tenuit, eandem, quoad præſens, de vtroque ferens ſententiam: etſi enim Gelaſij memorata ſententia Caſſiano nociua, & ſpecialis adſit, abſoluta tamen eius doctrinæ damnatio non eſt: nec à conſequentia damnationis Chryſoſtom. in ſententiis concordem, de quo non agebatur, non incluſum excluſit. Chryſoſtomi ergo reuerentia ſaltim, venerabilis alias, doctrinaq; & ſanctitate conſpicuus Caſſianus ab hæreſis Semipelagianæ ſuſpicione videtur liberandus. Atque hac arguendi ratione pro doctrinæ Caſſiani puritate afferri poſſunt, quotquot fauſtum ab eo errore liberant, inferius referendi: in quibus Trithemius, & Driedo. cum enim vt docte Vaſquez cit. diſp. 91. c. 9. obſeruat, durius Caſſiano Fauſtus loquatur in libris de gratia, & libero arbitrio, quos habemus, quia ſcripta Fauſti generaliter, vt Driedo tr. 2. de captiuit. & redempt. c. 2. p. 7. vel libros illos ſpeciatim, vt Trithemius, Catholica approbant id citius de Caſſiani doctrina tenentur ſentire.

7. Sed ſunt plura Caſſiani teſtimonia, quibus ad omnia bona opera gratia Dei inſpirantis, internéque nos vocantis opus nobis eſſe expreſſe, & Catholice docuit. Nam lib. 12. de inſtitut. renunciant. c. 9. 11. 17. & 18. ex inſtituto docet initium vocationis non eſſe ex operibus noſtris, aut natura, ſed ex gratia, verba omnia præ multitudine, & ſententiæ repetitione tædet referre: Sed hæc tamen, quæ firmum hac in veritate Caſſiani animum, atque in errorem aduerſum ſtomachum demonſtrant ex c. 16. libri illius prætereunda non ſunt. *Quam ſit igitur ineptum, & ſacrilegum, quidquam de bonis actibus noſtræ induſtriæ, & non Dei gratiæ, vel adiutorio deputare, manifeſte probatur Dominica proteſtante ſententia: ſine me nihil poteſtis agere:* capite etiam 19. *Quibus manifeſtiſſime perdocemur: & initium voluntatis bonæ nobis Domino inſpirante concedi,* &c. *& perfectionem virtutis ab eo ſimiliter condonari; noſtrum verò hoc eſſe, vt exhortationem, auxiliumque, vel remiſſius, vel enixius exequamur.* Eandem doctrinam expreſſe docet, multiſque confirmat collat. 3. de tribus abrenunciationib. à c. 10. vſque ad 19. collat. 4 c. 4. & 5. collat. 5. c. 14. & 15. collat. 7. c. 8. collat. 10. c. 10. & 11. Et miraculi ſane inſtar eſt, nec Proſperum, qui collationes impugnandas, titulo etiam opuſculi illius præſcripto, ſuſcepit; neque iudicij eius contra Caſſianum ſequaces horum teſtimoniorum ſuis ſcriptis meminiſſet, vt, quoquo illa modo interpretantes, à ſenſu Catholico diuerterent: quod ſatis omnibus probare debet Proſperum de præconcepto contra Caſſianum iudicio ſtatuendo ſolummodo curaſſe, & reliquos ex eius ſolum ſententia potius, quam lectione Caſſiani, atque operum ipſius Genuini ſenſus indagatione Semipelagiani erroris reum egiſſe. Veniamus tandem ad collationem illam 13. quam attentius legendam Proſper, & impugnandam ſuſcepit, ac vehementius accuſauit: in eius vero capite 3. Catholicam ſuam, & ſancti Auguſtini ſententiam recognouit; in qua, ſi perſtitiſſet, inquit Proſper nulla Catholicis de integra Caſſiani ad rem hanc fide diſputatio: immò addubitatio eſſe poſſet: ſunt autem Caſſiani verba. *Quibus manifeſte colligitur, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium: qui nobis, & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* Sed vero in ea ſententia Caſſianum etiam in collatione illa perſeueraſſe potuiſſet facile Proſper recognoſcere, & ſequentia, quorum ipſe non meminit, ſuadent cap. enim 8. ait. *Adeſt igitur inſeparabiliter nobis diuina protectio: tantaque eſt erga creaturam ſuam pietas Creatoris, vt non ſolum comitetur eam, ſed etiam præcedat iugiter prouidentia: quam expertus Propheta confitetur dicens: Deus meus miſericordia eius præueniet me,* capite 17. *Protector, ac Saluator dicitur, quod prior aduocat, & ignorantes, atque inuitos attrahit ad ſalutem.* Demum c. 18. non ſolum eidem ſententiæ inſiſtit, verum, & genuinæ ſui interpretationi, vbi ſonat locutus aduerſe, luculentiſſimam viam indigitat: &, quaſi digito, verbis hiſce demonſtrat. *Idcirco hoc ab omnibus Patribus definitur diuini eſſe muneris primum, vt accendatur vnuſquiſque ad deſiderandum quod bonum eſt, ſed ita, vt in alterutram partem plenum ſit liberæ voluntatis arbitrium.* Subdit etiam boni operis poſſibilitatem, & perſeuerantiam gratiæ Dei eſſe tribuendam: concludit autem. *Si autem vniuerſitatis Deus omnia in omnibus credendus eſt operari: vt incitet, protegat, atque confirmet, non vt auferat, quam ſemel conceſſit arbitrij libertatem.* Quæ, cum, non ſolum in opere collationũ toto ſimul edito à Caſſiano, ſed in eadem collat. 13. (ex qua, vel maxime ille à Proſp. & ſequacibus hæreſis Maſſilienſis accuſatur) adeò expreſſa ſint, atque doctrinæ à ſe lib. illo 12. de inſtit. renunciat. & reliquis memoratis collationibus conſona: eis Caſſianum errorem ſuum tegere, vel falſitatis inconſtantia in diuerſa fuiſſe & aduerſa iactatum (vt ex Proſp. Vaſq. d. 89. cit. c. 5. & 1. 2. d. 199. c. 4. & Ruiz cit. d. 14. titulo de ea inconſtantia præfixo tota ſect. 5. reſpondent) veriſimile non eſt: non ſolum de viro hoc ingenij, & doctrinæ laude cæteris tunc præſtante, & Academiæ Maſſilienſis Scholaſtico Theologo Magiſtro vnicè probatiſſimo (vt Gueſnay noſter probat) ſed nec de bardo, ſtupidoq; homine, qui, non ingenij, & doctrinæ inquam, ſed vel memoriæ aliquid retinet, nec eius quod ſcribebat littera poſtrema dictionis vix ſcriptæ obliuio foret. Quod vero alij reſpondent: his Caſſiani ſententiis Catholicum ſonantibus de externa ſolum gratia legis, & prædicationis, quam ipſe cum Maſſilienſib. gratiæ pręuenientis nomine intelligebat fuiſſe locutum: multis aliis teſtimoniis Caſſiani hinc inde collectis, à Deo friuolum eſt, vt Ruiz ipſe cit. ſect. 5. ſeu inauditum rejiciat, & certe (quidquid de locis illis congeſtis ſit, & de veritate ſententiæ, quod prædicatio externa gratia Dei ſit: cum illa ſolum neceſſaria non aſſeratur) de quo fusè t. 1. de ente ſupernaturali contr. 3. de gratia auxiliante) recit. teſtimonia quæ de gratia internæ vocationis & inſpirationis expreſſa ſunt, minime ea ſolutione euacuantur.

8. Et quoniam recitatis proxime Catholicis prorſus Caſſiani teſtimoniis genuina eorum, quæ in ipſo Semipelagianiſmum ſonant in Catholicum ſenſum interpretatio oſtenditur: videamus, quæ contra ipſum ex eius ſcriptis duriora ab aduerſariis producuntur. Primum ex citata collatione 13. quæ Proſpero totum in collatorem Caſſianum ſtomachum mouit, repetendum hic eſt, ea collatione capite decimo tertio aiebat. *Occaſiones quodammodo Deus quærit, quibus humanæ ſegnitiei corpore diſcuſſo,*

nem

*non irrationabilis muuificeutiæ ſuæ largitas videatur; dum eam ſub colore cuiuſdam deſiderij, & laboris impartit; vt nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeueret, dum exiguis quibuſdam parviſque conatibus, tantam immortalitatis gloriam inæſtimabili tribuit largitate.* Dixerat autem c.8. 9. & 12. Dixitque poſtea c.15.liberum arbitrium facultate, viribuſque ſuis poſſe præbere ſalutis initium, credendo, timendo, deſiderando, petendo pulſando, per vigilias & ieiunia lib.12. de inſtitut.renunciant.c.14. *Dicimus enim ſecundum Saluatoris ſententiam.* Matth.7. *Dari quidem petentibus, aperire pulſantibus, & à quærentibus inueniri; ſed petitionem iſtam, pulſationem, & inquiſitionem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, id quod petimus dederit.* Tertium teſtimonium eſt ex lib. 6. de inſtitut. renunciant. c.18. vbi ait, gratiam Spiritus Sancti dari; provt ſe quiſque ſuo labore, & induſtria dignum præbuerit. Hæ ſunt, quæ durius in Caſſiano ſonant. Cum autem ea omnia idem ſonent, neque omnia ex libro collationum ſint, ſed ex lib. de inſtitut. renunciant. qui eum à Semipelagianiſmo defendunt quod in lib. collat. non ex propria ſententia ſed Patrum, qui, iuxta cuiuſque inſcriptionem in eis ſunt locuti, & relatiuè ſolum ſcripſerit ex parte ſolum protegunt, quem alia ex parte Cenſoriis ictibus apertum nudumque relinquunt: ſuæque quoad collationes adhuc defenſioni fidem debilitant; ex his eſt Henricus Cuychius annotat.1. Cenſor. in Caſſian. qui poſtremum teſtimonium de gratiæ iuſtificantis formaliter in æquitate, provt ſe quiſque ex gratia auxiliante, cui ſuam adiungat induſtriam, diſpoſuerit, non abſque aſſeclis interpretatur: ſed defenſio hæc ad ſecundum teſtimonium non ita facile extendetur. Præterea, tam ſecunda hæc quam prima & tertia iam ſubiicienda interpretatio, & defenſio genuinam Caſſiani mentem, & legitimam defenſionem non aſſequitur. Tertia itaque interpretatio,& defenſio Petri Ziaconij propoſit.2. citata eſt opus per arbitrij nudas, & puras vires elicitum, diſpoſitionem, & cauſam remotam per accidens, & indirectam eſſe: quod & Scholaſtici plures, qui poſt Arauſicanum ſecundum (in quo de Pelagianorum reliquiis ſemipelagianis, ſiue Maſſilienſibus actum eſt) immò, & poſt Tridentinum ſcripſerunt, etiam docent, vt quæſt. 3. videbimus. Hanc Caſſiani interpretationem alij probant: nec video cur non etiam noſter Ruiz de Montoya ipſam pro Caſſiano ſequatur: ſiquidem hunc ſenſum de cauſa per accidens remota, nec actiua, & à nobis data, ſed paſſiua, & à Deo quæſita, vt ait d.16. ſect.1 num.8. (vbi Marcum Eremitam obinde à Maſſilianiſmi liberat ſuſpicione, & ſect.2. multis confirmat) Catholicum reputat: etenim in primo ex durioribus Caſſiani teſtimoniis legerat, & contra ipſum recitauerat. *Occaſiones quodammodo Deus quærit:* quin reliqua eius teſtimonij huic intelligentiæ repugnent: maxime cum ipſe ſectione citata, numero 5. opera aliqua moralium virtutum, quibus lex naturalis impletur, graui tentatione deficiente viribus naturæ tribuat Alij reſpondent: virtutes morales propter naturalem honeſtatẽ elicitas promoueri à Deo per fidem, ob honeſtatem ſupernaturalem eliciantur vt autem promoueantur, debent, etſi non meritorie, & influxiuè, aſt materialiter vt ſubiecta promouenda ſui promotioni pręcedere: ſed nec in habente fidem diuinam ijdem certum exiſtimant ad actum etiam ſupernaturalem omnem excitatione Dei per ſupernaturalem vocationem, & gratiam opus eſſe. Ac tandem duplex gratiæ, & vocationis excitantis Dei internæ genus eſſe aiunt: alterum genus, quaſi communis, & vniuerſalis gratiæ excitantis ad omnem bonum affectum, & conatum noſtrum: alterum ſpecialioris gratiæ, atque vehementioris, qua motus excitati per generalem gratiam illam promoueantur, atque hanc in Zachæo,& latrone, & centurione ex fidei per generalem gratiam conceptæ merito recognoſcere Caſſianum aiunt, in Beato Iob, fideq; Abrahami collat.13. c.14. cuius fidem aliquam, cum inſpiratam à Deo negat, eam non ex Dei gratia illa generali habitam cenſet, ſed tantum non eſſe à ſolo Deo ſpecialiori gratia, abſq; vſu libertatis eius infuſam, vt teſtimoniis iam ex eo c. recitandis ſignificari videtur.

9. Nolumus autem tot ambagibus, atque doctrinis, quæ prolixius Theologicum examen requirunt, ſinceram mentem,& genuinum ſenſum Caſſiani, qui ſatis ab ipſo videtur expreſſus indagari: germaniorem ergo Caſſiani interpretationem,& ſolidiorem eius à Maſſilianiſmo, eiuſque ſuſpicicione vindicationem eam putamus, quam ipſe teſtimoniis recitatis à n.7. expreſſit: non ſolum ſententiam negantem gratiæ Dei cuiuſvis bonæ noſtræ voluntatis, & actus initium, vt ineptam, & ſacrilegam rejicientis teſtimonio primo, ex lib.12. de inſtit. renunc. c.16. ſed & duobus poſtremis ex collat 13. cap.18. productis: quibus id ſolum ſe velle declarauit, non ita gratiæ Dei noſtrorum actuum, & operationum honeſtarum negotium eſſe tribuendum, quaſi nihil in eis de ſuo arbitrij creati libertas Dei gratiæ neceſſariæ cooperant, ipſaq; bene vtens apponat. Hoc igitur ſolum Caſſianus oppoſitis contra ipſum teſtimoniis durioribus videtur clare contendiſſe. Atque eam conſtantem vbive Caſſiani mentem fuiſſe, (miſſis aliis ex ipſo citatis, recitatiſq;) collationis illius 13. c.13. (ex quo acrius impetitur) contextus & ſequentium capitum textura,& contextura ſuadere facile videtur Etenim largitatem gratiæ, cui tribuendæ occaſiones Deus quærere dicitur, & colorem, non gratiæ, ex qua neceſſario præeunte operamur, ſeu, ex qua prædeſtinatiua diſpoſitio, atque prædeſtinatio inchoatur; ſed electionis, ad executiuam donationem gloriæ intelligit præ cuius magnitudine merita ex gratia profecta, eiuſque bono vſu noſtro, & cooperatione parata à Deo nihili habenda ſunt, vt tantæ largitatis gratiam non euacuent: id quod ex illo 2.Corint.4. *Momentaneum & leue æternum gloriæ pondus, &c.* patet. Quod autem, non de labore, & merito è puris arbitrij viribus, ſed ex gratia etiam Dei nos iuuante,& cooperante nobis ad gloriæ tantæ meritum, quantulumcunque illud, agat his plane oſtendit. *Idcirco prædictus Magiſter gentium, licet gratiæ Dei Apoſtolatus gradum ſortitum ſe fuiſſe teſtetur; tamen, ſe quoque diuinæ reſpondiſſe pronunciat dicens: & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui; non autem ego, ſed gratia Dei mecum*, vti agens ſcilicet omnis mei laboris principalius. *Nam, cum dicit laboraui conatum proprij ſignat arbitrij: cum dicit: non autem ego, ſed gratia Dei, virtutem diuinæ protectionis oſtendit: cum elicit mecum, non otioſo, neque ſecuro, ſed laboranti eam cooperatam* (non ſubſequutam) *fuiſſe declarat.* Cum ergo aliis omnibus Præcellentes Pauli conatus,& labores ipſos,& Caſſiano atque omnibus fatentibus, ex Dei gratia fuerint, nec, niſi ex illa, ipſique cooperatione arbitrij Pauli potuerint prouenire, atque in eis conatum, cui gratiam tantæ largitatis, præ ſua magnitudine gratuitæ, ex Pauli ſententia Caſſianus aſſerat, tria de huius mente in eo textu apparent. Primum non agi ibi de electione ad primam gratiam vocationis, ſed ad gratiam retributionis gloriæ: ſecundum agi de meritis ſolum ex gratia partis. Tertium, nullum aliud meritum, aut conatum voluntatis noſtræ, *quod exigi, vel expectari* initio dixerat, ibi à Caſſiano recognoſci, quod ex ſola arbitrij facultate ad gratiam vocationis præcedat; ſed ſolum, quod gratiæ Dei præuenienti cooperetur, quod ipſum ex dictis à ſe c. 12. perſequi ſe Caſſianus ipſe c.13. profitetur ita illud inchoans. *Et ita ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus* (nullo vtique excepto) *adiuuat.* Quare: quod ſtatim ſubiungit conatus noſtros Deus *exigit & expectat*, non de expectatione vt gratia donetur, ac ſit, ſed vt nobis cooperetur, quæ iam eſt *vt in omnibus cooperetur*, intelligi poteſt ac debet: cum alioqui in illis, quæ ipſam pręcedant bonis, non cooperaretur: quare ſolum vult nouita gratiam Dei ſolam bona in nobis operari, vt arbitrij in eis edendis non expectetur vſus, c. vero 14. hanc ſuam ſententiam vlterius multis confirmat exemplis, in Beato Iob, primum ab illis verbis. *Si enim contra inimicum non ſua virtute ſed Dei ſolius fuiſſe gratia protegente* (cui proinde arbitrium Iobi nullatenus cooperaretur) *congreſſus, & abſque vlla virtute patientiæ ſuæ diuina tantum opitulatione ſuffultus* tot Diaboli tentationes ſuperaſſet, adhuc inquit, querelæ Sathanicæ. *Nunquid Iob fruſtra timet Deum:* Sed aufer manum tuam locus eſſet, ſed, cum non iteretur, *non Dei* (vtique ſolius) *ſed illius viribus ſe victum Sathanas confitetur.* Addidi textui huic illud *ſolius*: tum, quia erat in 1.p. textus, quam è Sathanæ ſilentio probat; tum, quia inferiuſcule virium Iobi ex protectionis diuinę explicatione à ſe ſubintellectum probat



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

his verbis. *Non eum ab illius*, Sathanæ, *impugnatione ſic protegens; vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum.*

10. De fide item centurionis elogium Chriſti Matthæi 8. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael.* In eundem ſenſum ſic expendit. *Nullius enim laudis eſſet, ac meriti; ſi id in eo Chriſtus quod ipſe donauerat,* (ſolus ſcilicet, & in totum, nullo arbitrij centurionis cooperantis vſu, induſtria, atque interuentu: neque enim adeo rudis Theologus, hebeſque Caſſianus, vt induſtriæ arbitrij noſtri, & cooperationi gratiæ, qua præuenimur, atque à Deo iuuamur ſuam laudem meritumque non agnouerit) *prætuliſſet; alioquin dixiſſet, non dedi tantam fidem in Iſrael*: quo ſolum ſenſu cap. 13. & anteriori textu huius capitis 14. à Caſſiano expreſſo, à nobiſque parentheſi proxima explicato, vim, & veritatem Caſſiani aduerſatiua pars extrema habet: immo ſenſu alio, ne apud Bardum quempiam, veriſſimilitudinem habere poterat, vt eam proferre, ſcribereque ſuo nomine auderet: ſiquidem fidei, operiſque cuiuſvis è libertate arbitrij noſtri cooperantis gratiæ, & vocationi Dei donatio à Deo non formaliter in ſe, ſed *in radice congruæ vocationis*, iuxta Auguſtini phraſim, non ita à Deo donatam fidem, & opera noſtra, vt nihil in eis laudis, & induſtriæ noſtræ adeo inueniatur, vel rudi alicui Theologo ſonaret: ex contextu eodem, & explorata mente, & intento Caſſiani in aperto eſt Catholiciſſimus ſequentis infra propoſitionis ſenſus de fide Abrahami ad id Geneſ. 22. *Tentauit Deus Abraham*, vbi ait. *Non enim illam fidem, quam ei Dominus inſpirarat, ſed illam, quam vocatus ſemel, atque illuminatus à Domino per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iuſtitia. Vnde non immerito fidei eius conſtantia comprobatur, &c.* Vbi duplicem fidem Abrahami alteram ſupernaturalem ex Deique gratia ortam, quam Deo *inſpiratam* vocat: alteram vero ex ſolis viribus naturæ, & arbitrij libertate profectam, & cuius merito laudaretur agnitam aſſertamque à Caſſiano eius aduerſarij contendunt: non attendentes. Secundam hanc Abrahami, quam dicunt, ex viribus arbitrij ſolius ortam textui aperte repugnare: cum eam eſſe dicat, *quam vocatus ſemel atque illuminatus à Domino per arbitrij libertatem*: ſuppoſita nimirum Dei vocatione & illuminatione, quæ nil aliud, quam interna vocatio, & illuminatio gratiæ eſt *poterat exhibere*. Eſt igitur germanus ſenſus, mentique, & ſententiæ quam Caſſianus pergit conformare confirmis: in fide, quam Deus abſque arbitrij gratiæ cooperantis libertate Abrahamo infudiſſet, nihil eſſe, quod Deo probaretur, ab eoque à Deo laudaretur, neque in eius ſubueniente gratia Dei perſeuerantia. Rurſus eidem ſententiæ ſuæ inferius inſiſtens ad id Deutron. 13. iuxta lectionem Septuaginta interpretum. *Si ſurrexerit inter vos Propheta*, &c. ait: *Quid ergo, cum iſtum Prophetam, aut ſomniatorem ſurgere permiſerit Deus, itane eos, quorum fidem probare diſponit, protecturus credendus eſt, vt nullum penitus locum, quo ſuis viribus cum tentatore confligant, libero eorum reſeruet arbitrio?* Inferius vero id 1. Corinth. 10. *Qui ſtat videat ne cadat*: his ponderat. *Sollicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat percepta gratia, vel ſtare per induſtriam, vel cadere per negligentiam poſſe*: pende *percepta gratia*, non vtique abſque illa totumque, ac ſolum in 14. & 13. intentum fuiſſe: non ita nos gratia Dei toties à ſe, ad quodvis bonum opus, & ſalutis initium catholicè prærequiſita, præueniri, vt nihil ad bonum eius vſum, vel abuſum poteſtatis arbitrio noſtro relinquatur, his collectim, & per ſummam concludit. *In his igitur omnibus approbatur: ita ſemper diuinam gratiam propriis eum conatibus congredi aduerſum ſpiritales faciat inimicos, vt non etiam propriis eum conatibus congredi adverſus ſpirituales faciat inimicos: in quibus, vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem ſuam ſuperatus intelligat: & ita diſcat, non de ſua fortitudine, ſed de diuino ſemper ſperare ſuffragio, atque ad ſuum iugiter recurrere Protectorem.* Huius interpretationis veritati, & ingenuitati fidem faciunt innumera eius loca recitata, maiorique ex parte, vitandi tædij cauſa, citata numero 7. quibus expreſſe gratiæ Dei tribuit cuiuſvis boni noſtri operis initium.

11. Sed quid inquies de Proſpero illum Maſſilienſis erroris reum agente: de Gelaſio Papa eius ſcripta damnante: de Celeſtino Papa eundem re ſuper hac ſugillante epiſt. 1. ad Epiſcop. Galliæ: pro Proſperi, & Hilarij, & Auguſtini doctrina. Quid demum de tot eruditiſſimis Chronologis: immo, & Scholaſticis ſuſpectum, vt minimum illum Semipelagianiſmi habentibus, dicendum erit? Et de Proſpero, cuius authoritate reliquis de Semipelagianiſmo ſuſpectus Caſſianus fuit, vidimus, quam acriter Gennadius conqueſtus fuerit, quod innoxium infamauerit. Bellouacenſe, & S. Antonino querelas tacite approbantibus, & S. eodem Antonino è ſua, & Illuſtriſſ. Ioan. Dominici ſententia ſcribente: quod ſcripta Caſſiani curſim, & ſuperficialiter legerit: cum ea eo ſenſu intellexit quo illa impugnauit, quæ in bonum prorſus, & Catholicum ſenſum poſſet intelligere, vt graues alij Doctores interpretati ſunt, & accurata noſtra interpretatione num. 10. & 11. monſtrauimus. Sed Proſperum Catholicæ veritatis contra errorem Maſſilienſium Presbyterorum plurium zelo contra Caſſiani collationes ſcripſiſſe certum omnibus eſt: atque ea, quæ carpit in deteriorem ſenſum, tametſi non genuinum, neque examine accurato intelligendi non omnino imprudentem exiſtimationem tunc temporis habuiſſe. Tum, quia illorum omnium, etiam ſapientiorum, Magiſter Caſſianus habebatur, cuiuſque proinde ſententiis præpoſterè intellectis, tanquam ſpectatiſſimæ in Eccleſia authoritatis, & doctrinæ viri Presbyteri illi ſe protegerent: quare eas ſenſu, quo ab eius diſcipulis vſurpabantur, & accepiſſe, & impugnaſſe, nulloque alio examine earum attentiore præmiſſo contra illum, vſque ad probra, ſcanduiſſe mirum non eſt. Neque enim primus ex Catholicis fidei Propugnatoribus humanum id paſſus eſt, nec poſtremus. Ekio enim, Catholicæ fidei acerrimo contra Lutherum propugnatori, idem in Tauleri ſcriptis damnandis, quod aliquot eius ſententiis detortis ſuum errorem Lutherus confirmaret, accidiſſe animaduertit Ludouicus Bloſius in defenſione Tauleri verbis hiſce. *Taulerus Catholicæ fidei cultor integerrimus ea, quæ ſcriptis ſana, & plane diuina ſunt, vt cognoſcere poſſunt, qui in illis ſunt verſati. Sed Ekius ardore Eccleſiæ ſuccenſus indigne tulit, quod Lutherus magnifice laudaret Taulerum, & ſententiis ſuis praua dogmata confirmare niteretur*: infra. *Ekius non putans ſe falli dicit: vtinam Taulerus prorſus lateret, & non inuolaret in monaſteria; ego vero in nomine Domini dico: vtinam Taulerus vbique gentium cognitus eſſet, atque à compluribus diligentiſſime legeretur: verum Ekius, ſiue minus circumſpecte damnauerit Taulerum, nondum à ſe ſtudioſè lectum: nequaquam tamen maligne feciſſe credendus eſt; ſed feruens ille zelus, quo inuehebatur in Lutherum facile illi perſuaſit, vt præpropere iniquam de ſanctiſſimo viro Taulero ſententiam ferret.* Quæ ſane excuſationis, Doctorem quemvis Catholicum, Sanctumque, & doctrina præſtantiſſimum decens, ratio ſancto Proſpero multo eſt decentior: cum Caſſianum Maſſilienſium Presbyterorum, in aliis omnibus Ducem, & Magiſtrum eſſe certò noſſet: atque Presbyteros illos non, niſi ex Magiſtri mente, eius teſtimonia producere, nec leui fundamento credidiſſe cenſendus Proſper ſit: vt reliquum mentis eius examen impenſius imprudenter omiſerit, erroris eius illum egerit reum, atque aperta illa huic errori aduerſa, quam ſolam legit ſententia Caſſiani, inconſtantiæ ipſum argueret.

12. Cum autem reliqui eius erroris, vel reum, vel ſuſpectum Caſſianum agentes Proſperi, vel maxime, vel vnicè authoritate, & ſiniſtris interpretationibus nitantur, ex dictis ipſorum ſuffragia fundamenti eius coerſione ſubruunt, & concidunt. Ad illam librorum Caſſiani inter apocriphos relationem à Gelaſio Papa citato capite *Sancta Romana*. Reſpondetur ex gloſſa, Antonin. 1. p. hiſtor. tit. 17. cap. vii. §. 18. Archidiacono Couarru. 4. p. decret. cap. 17. numero 1. Driedo de Catholicis inſtitutionibus ſacræ ſcripturæ c. 4. fol. 21. ex Hugone de S. Victore, & lib. 4. de dogmatibus fol. 209. pag. 2. apocripha appellari dubiæ, nondumque exploratæ ab Eccleſia fidei, & authoritatis, vt in Eccleſiaſticis lectionibus vſurpentur: ſicuti vſurpari Patrum aliorum, non ita Notatorum ſolent: quin abſolute erroris damnentur, vel ſuſpicionis de illo eis nota abſolutè feratur: eorumque priuata ſubinde

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſubinde lectio licita cunctis manet ſolumque ſuſpenſa ipſorum in maturius examen, authoritas, quæ Proſperi ſententia, & libro contra collatorem euulgato fuerat in dubium vocata: ſed inquiunt Celeſtinum Papam epiſtola pro Proſpero, & Hilario, & Auguſtini de gratia doctrina, quam illi propugnabant, ſcripſiſſe compeſcendam eſſe quorundam Presbyterorum audaciam qui Auguſtini doctrinæ de gratia obloquebantur: qui haud dubiè Maſſilienſes erant, quorum præcipuus, & Magiſter Caſſianus fuit, & contra quem Proſper ex inſtituto ſcripſerat pro Auguſtiniana doctrina. Cæterum, etſi eorum Presbyterorum præcipuus, & Doctor Caſſianus fuerit, nuſquam tamen doctrinæ de gratia Auguſtinianæ oblatrauit, neque eius, dum ſua ſcriberet, meminit adhuc: quare ea Celeſtini ſententia non tangitur. Maxime, cum conſtet Vincentium quendam Maſſilienſem Prebyterum Vincentianas quaſdam contra eam Auguſtini doctrinam ſcripſiſſe obiectiones, Proſper opuſculo integro reſpondit, atque alios Presbyteros Maſſilienſes capitula quædam contra eandem Auguſtini doctrinam de gratia collato ſtudio & ex communi ipſis ſententia compoſuiſſe (in quibus Caſſianum fuiſſe, nullo fundamento, aut probabilitatis ſpecie aſſeri poterit) contra quos etiam Proſper ſcripſit librum quem *ad capitula Gallorum* pro Auguſtini doctrina nominauit: cum ergo exploratos doctrinæ Auguſtinianæ hoſtes, & cum Propero ſuper ea certantes habeamus, eoque charactere Celeſtinus eos, contra quos ſcribebat notauerit: Plagiarorum more, & vitio, quempiam alium ad eorum numerum trahemus: eo ſolum quod Presbyter Maſſilienſis fuerit, eove etiam nomine, quod reliquorum Presbyterorum Maſſilienſium fuerit ingenio, & doctrina præſtantiſſimus, atque Academiarum Scholaſticus primipilus, ac de cætero Magiſter: cum nihil eius doctrinæ exploratum in ſuis ſcriptis repetiatur, vt vidimus, nec aliqua vſquam cum Proſpero ſuper Auguſtini doctrina concertatio, in qua à Proſpero, & Hilario victus declarari à Celeſtino poſſet. Accedit Caſſianum libris de Incarnatione vbi apertum, non ſolum Neſtorianis, ſed & Pelagianis bellum indixit, hanc etiam Semipelagianam hæreſim, Pelagianæ reliquias ſcilicet, acriter inſectatum eſſe. *Eam* dicens, *venenoſam certi erroris, incerti nominis, nuper in diebus noſtris ortam*, vt bene obſeruauit Gueſnay noſter lib. 1. Caſſiani illuſtrati c. 64. num. 11. ſub cuius finem hæc ex Caſſiano etiam recitat, ita ſcribens. *Nunc quod paulò auſterius dicere cæpimus exequamur: vt omnes ſciunt in Pelagianis cineribus ignes quærere te, & nouis Sacrilegiorum flatibus fauillas veteres excitare.* Cineres autem erroris Pelagiani non error ipſe, ſed eius reliquiæ, Semipelagianus error, vocitatus à ſuo exordio fuit: nec nouus flagitiorum flatus fauillarum veterum error ipſe Pelagianus dici vſquam poteſt. His forte deceptus Baronius, & alij libris de Incarnatione Semipelagianiſmum à Caſſiano retractatum crediderunt; quem potius ab ortu ſuo illi inuiſum probant.

13. Ad Hiſtoricos: ex eorum, quoad rei huius hiſtoriam, varietate, inconſtantia, & contradictionibus notatis num. 4. & 5. claret, teſtes varios eſſe, nec fidem facere poſſe, ſuamque ex Proſperi iudicio, inlecto Caſſiano ſententiam dixiſſe. Quod, & Scholaſticis Caſſiano aduerſis euenit, qui, ſi attente, ac ſine damnationis præiudicio, vt nos fecimus, Caſſianum legiſſent, aliam forte de eius ſcriptis ferrent ſententiam. Nec dubium eſt, quin illuſtres illi tres ſacris infulis inſigniti Dominicanæ familiæ primi Magiſtri, & primores, in Caſſiano & Proſpero verſatiſſimi, aliorum hiſtoricorum, & Scholaſticorum iudicio lancem, vt non deprimant, æquent. Nempe Ioann. Dominici Rhaguſæus Archiepiſcopus, S. Antoninus Florentinus, Vincentius Bellouacenſis Præſul. Quibus, ſi Eucherium Lugdunenſ. Epiſcopum, victorem Epiſcopum Martyritanum opera Caſſiani, & ſententias omnes, non approbantes modo, ſed pro commodiori fidelium vſu in Epitomen redigentes, vt vidimus, Gennadium Maſſilienſem Epiſcopum, ac Leonem Papam addideris defenſionis Caſſiani lancem præponderare videbis. Nec æſtimo accurata noſtra textuum difficiliorum, & contextuum meditatione, & interpretatione, (cui anteceſſores noſtri, dictis aliorum referendis, computantiſque ſolum contenti, non incubuerunt) eleuandam: id autem laboris ſuſcepi, tum, vt de more non aliorum ſententias tranſcriberemus tantum, dum noſtram ſcribimus: tum, quia in aliorum cenſuras ſumus ſemper charitatis lege difficiles, atque in aliorum doctrinis ea quibus excuſentur, inquirimus, non quibus damnentur (quod Caſſiano Doctiſſimo ſuæ tempeſtatis, ſanctiſſimo viro, communi tunc, & poſt hac, monaſticæ, atque Euangelicæ perfectionis Magiſtro, vel maxime debetur) tum quia in omni republica meliorem innocentiam æſtimo, quam correctionem. Præſertim, cum eius hominis delicta erroreſque ſunt, qui præ ſua excellentia, & amplitudine errandi, ac delinquendi facere authoritatem, nec ſolum exemplum, poſſint: nec pudeat prorſus imitari, quod in præclaris viris admiſſum conſpicitur: ac non obſcuro loco nata fœditas venditetur: quæ conſpicuos adeo Parentes poſſit iactare fidei ergo, vt non veritati, ſplendori conſulere illum reor, qui Patrum, præſtantiumque Doctorum, vbi erroris aliquid ſonant, ita textum contextumque rimatur, vt Catholicum eorum ſenſum ibi adinueniat, &, quantum veritas patiatur, in apertum producat, idque etiam præſidij hæreticis auferat, vt nudos prorſus illos, atque inermes Doctores Catholici adoriantur: id nobis tam prolixi laboris in cauſa fuit, vt perpenſis cunctis, quorum pleraque, non ita ab aliis inſpecta minutatim fuerant, docti alij cum plena, vt aiunt cauſę Caſſiani notitia ſententiam ferant, quod ipſum de Patribus aliis iam præſto.

---

## CERTAMEN III.

### *Aliorum Patrum circa Semipelagianiſmum ſenſa eruuntur.*

1. GRæcos Patres ante hæreſim Pelagij: quare, & Maſſilienſium, exortam, nedum examinatam atque damnatam, humani aliquid paſſos Catholico animo Semipelagianis præluxiſſe Doctorum virorum ſententia eſt: & Clemens Alexand. 7. ſtromat ac Cyrillus item Alexand. 3. contra Iulianum à Theologorum, quos viderim nemine excuſantur, ſed in Semipelagianiſmum lapſi citra diſputationem creduntur, eorumque ſententiam amplexatus Chryſoſtomus iudicatur ab Arnobio præfatione in eius opera, Molina in concordia d 41. Vaſquez 1. p. d. 89. c. 4. & 91. c. 8. ego vero, vt de Clemente, & Cyrillo iudicium tantiſper differam, Chryſoſtomum, ne materialiter quidem ad Semipelagianiſmum impegiſſe cenſeo cum Sixto Senenſe 5. Biblior. ſuæ annot. 102. Soario 1. p. c. 2. de prædeſtinatione c. 8. qui accurata ſua in Chryſoſtomo vindicando opera pleroſque Recentiorum ſubſcribere fecit. Mouetur: quia homil. 28. in Geneſ. Dei gratiam *præuiam* vocat. Sed nihil ibi firmum, cum de gratia externæ protectionis per impedimentorum remotionem, quæ noſtræ induſtriæ, & arbitrij libertati non ſubiacet, expreſſè loquatur illud ſane firmius ex homil. 38. affert vbi Dei gratia *preces noſtras ſemper præueniens* à Chryſoſtomo dicitur & homil. 12. in 1. ad Corinth. ad id, *quid habes, quod non accepiſti,* ita ſcribit. *Acceptum habes non hoc, aut illud, ſed omnia, quæ habes. Nom enim hæc recte facta tua ſunt* (principaliter nempe) *ſed diuinæ gratiæ: etiamſi fidem dicas,* (in qua Semipelagiani aberrarunt) *ea extitit ex vocatione.* Adde homil. 28. in Matth. ſic fatum. *In gratia Dei totum poſſumus, ſine gratia autem nihil,* & ſane cum Catholica contra Semipelagianam doctrina in Pauli epiſtolis, qui ipſum interpretati Chryſoſtomo commentaria in aurem inſuſurraſſe legitur, & creditur, id doctrinæ ſuæ momenti tanti ad fidem de gratia Chriſti reticuiſſe, neque voluiſſe inſpirare, vt labi Chryſoſtomus poſſet, non videtur credibile: maxime cum conſtet ad locum Pauli citatum totam Pauli ſententiam fuiſſe à Chryſoſtomo penetratam. Aliis argumentis, & coniecturis noſtri Soarez, & ex epiſt. Celeſtini ad Epiſcopos Galliæ, vbi ſemipelagianum Maſſilienſium errorem *pernicioſam* appellat *nouitatem*, (quæ, ſi Græcorum Patrum,

& Chryſoſtomi ſententia fuiſſet, nouitas non foret) & ex damnatione eius erroris anticipato, (vt inquit Auguſtinus epiſt. 106.) à Græcis Patribus in Concilio Palæſtino (quod nuſquam fieret, ſi Græcorum Patrum ſententia fuiſſet) ſatis probabiliter reſpondebat Magiſter meus Daza: Nouitatem in Eccleſia latina rectè dici potuiſſe, cum à Maſſilienſium tempore illo audiri in illa cœperit; atque abſolute in Eccleſia tota: quia eo vſque à nullo, adhuc Patrum Græcorum, fuerat ex inſtituto aſſerta, ſed ab vno, vel altero obiter, & aliud agente curſimque poſita, vnde & ad coniecturam ex Concilio Palæſtino eius erroris damnatione petitam ſolutio eſt procliuis: cum nondum eſſet paucorum illorum Patrum ſententia euulgata, & recognita: vt mittam Patres ad iudicia in Conciliis ferenda, non tam ex ſuis, & aliorum ſenſibus, necdum ab Eccleſia diſcuſſis, quam Spiritus ſancti inſpirationibus, & motibus agi.

2. Ego itaque vt Chryſoſtomum ab erroris Maſſilienſium, materialis etiam, ſuſpicione liberem recitatis teſtimoniis, & ratione prima ducor, ac inſuper ex datis vindiciis Caſſiani: cum enim Caſſianus ſapientiſſimus, addictiſſimuſque in omnibus doctrinæ Chryſoſtomi fuerit, ideoque licitum eſſe quandoque mentiri in collatione 17. Abbatis Ioſeph. c. 12. & 17. ſignificauerit, quia id docuerat Chryſoſt. 1. de Sacerdotio fine & homil. 32. & 57. in Geneſ. & epiſt ad Olympiam ex eodem ſenſu, quo Caſſianus, circa gratiæ præcedentiam iudicaſſe credendus eſt: ibi etiam vbi aduerſum aliquid videtur locutus; obinde in Caſſiani Catholico ſenſu indagando, & oſtendendo Chryſoſtomi negotium præcipuè agi ſupra monebam: ſunt etenim diſcipuli & Magiſtri locutiones ſimillimæ, & quæ ſubinde nequeant cordate in ſenſu diuelli: immo vero durius aliquando Chryſoſtomus loquitur, vt, niſi ex præſuppoſitæ ſententiæ cum Caſſiano diſcipulo communitate, & data à nobis explicatione vix, ac ne vix quidem, in ſenſum Catholicum trahi Chryſoſtomus poſſit, vt ex ſequentibus clarebit: ait enim homil. 12. in epiſt. ad Hebræos. *Deum non præuenire noſtram voluntatem, ne temeret libertatem.* Reſpondet vero Soarius præuenire idem ibi valere ac phyſice prædeterminare, vt in Damaſceno, dum Deum non præfinire actiones noſtras liberas legimus, de prædeterminatiua phyſica prædeterminatione intelligimus, non autem alia Soariſtica benigniore, ſed hanc ſententiam à Damaſceno negari Vaſquez & nos facile contendimus & probauimus. At contra interpretationem Chryſoſtomi inſtat Magiſter meus Daza: quia illis ipſis locis, quibus Soarez eam confirmat, ait Chryſoſtomus Deum gratia ſua nos præuenire, vbi non loquitur de præfinitione phyſice prædeterminatiua ſibi ſcilicet contradicens: eſſet autem bardi cuiuſdam, aut fallacis hominis æquiuocatio eiſdem ipſis locis verbum idem, iam vno, iam alio ſenſu vſurpare: ſed ex inſtantia hac genuina Chryſoſtomi, & Catholica ſententia obiecto, ac ſimilibus locis, deprehenditur. Nempe Deum voluntatem, & operationem noſtram non præuenire ſe ſolo illam operando: quin etiam ſuas partes, & primas phyſice (tametſi non principales, & moraliter primas) in libere operando voluntati, gratia etiam ſua præueniente (vt præueniri ibidem admittit) relinquat; alioqui voluntatis, & operationis euerteretur libertas: quam gratiæ præuenientis aſſiſtentia, & cooperatione ſeruandam Caſſianus ex Chryſoſtomi Magiſtri doctrina aiebat. Nec fallit Chryſoſtomus cum eadem voce iam aſſerit, iam negat: ex anthiteſis enim vicinitate alio ſe, atque alio eius ſignificatu eadem voce, vti monet, atque explicat ſatis. Dixi autem voluntatem gratia præuentam primas phyſice in operando partes, & ſi non præcipuas, & moraliter partes habere, quia determinatione tota ſua phyſice, gratiam ſibi à Deo præſtitam, vt ad opus bonum ex parte actus primi compleatur, ad opus exequendum, atque operationem identicam ſecum trahit; tametſi, quia gratia ex congruitatis eius ſcientia à Deo donatur, præcipuum agens: & cui opus ipſum, principaliter in morali æſtimatione debetur, haberi prorſus debeat, Deoque ſubinde donatori in radice congruæ vocationis, vt Auguſt. & Theologi Catholici docent, attribui.

3. Inde difficillimi, duriſſimique teſtimonij ex Chryſoſtomo homil. 17. in Ioann. pars prima à nullo eius vindice emollita facile expediretur: ſic autem ait. *Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non præuenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe.* Voluntates quippe non in actu primo, ſed in actu ſecundo pro earum actibus liberis, & in actu ſecundo vſurpat, & in eis iuxta proximè dicta primas phyſice partes nos, arbitriumque noſtrum habere, atque eo ſenſu à nobis incipiendam eſſe certiſſimum eſt, gratiámque operationem voluntatis cooperando exercitè non præuenire, ſed ſequi potius determinationem voluntatis & arbitrij, cui in operando ſubditur, & quo trahitur ad identicam cooperationem cum determinatione qua trahitur: ſed hanc ſolutionem ipſe contextus, ſecundaque teſtimonij eiuſdem pars, quæ primam explicat, apertiſſime videtur excludere: ſubdit enim continuo Chryſoſtomus. *Sed cum nos prompto paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones*: ſiue vt homil. 12. in epiſt. ad Hebræos ait. *Tum multam afferre auxiliationem.* Dixit autem hæc Chryſoſtomus pendens interrogationem illam Chriſti Domini quid quæritis ad duos Baptiſtæ diſcipulos Andræam, & ſocium, qui eum audito de ipſo Baptiſtæ teſtimonio ſtatim ſunt ſecuti: & quorum proinde bonam voluntatem, & deſiderium inquireret. Bonum vt poſtmodum ſalutis occaſiones, ſiue auxiliationem multam ſuæ gratiæ offerret: quare inceptionem, quam ex nobis ad beneficia, & auxiliationem Dei ad ſalutem præceſſuram dixit, phyſicum per actum diuerſum ab eo, qui ex Dei auxiliatione procedit, ac proinde ex nobis ſolum, & viribus naturæ profectam videtur aſſerere, non autem præcedentiam illam ſubtilem ſcholaſticam operationis eiuſdem, provt à nobis, & provt à gratia, quam arbitrij noſtri determinatio ad cooperandum identicè trahit. Teſtimonij difficultatem profeſſus initio fui: cum autem videam Chryſoſtomum toties neceſſitatem gratiæ præuenientis quodvis noſtrum bonum opus agnouiſſe, aſſeruiſſeque ſibi nunc illum & ſibi & veritati Catholicæ à ſe ex Paulo cognitæ repugnaſſe credere non poſſum. Cenſeo ergo Chryſoſtomum hic inceptionem ex nobis, neque ad primam gratiam quamvis, neque ex ſolis noſtris, & arbitrij viribus intellexiſſe, ſed ad multam quandam, ſeu magnam Dei auxiliationem, & beneficia grandiora, ad quam merita priora, non ex naturæ ſolum viribus, ſed ex gratia, & beneficio, non adeo in ſe magnis, & ingentibus profecta inordinata prouidentia, etiam ſupernaturali præcedunt: id ſuadet mihi materia textus, quæ erat de Andreæ, & ignominati alterius Baptiſtæ diſcipuli ex Magiſtri ſui teſtimonio de Baptiſmo Chriſti in Spiritu ſancto Chriſtum ſequentium, quos ipſe ad Apoſtolatus culmen euectutus erat, atque euexit: eos vero ex Dei gratia interna Chriſtum fuiſſe ſecutos, ac deſiderium Baptiſmi in Spiritu ſancto, quem à ſuo Magiſtro audierant, de quo à Chriſto Domino interrogabantur, concepiſſe, non negat ibi Chryſoſtomus: immò vero, vt non aſſerat expreſſe, ſupponit: dum ex Ioan. Baptiſtæ teſtimonio quoſdam ex eius diſcipulis Chriſti moribus & doctrinæ oblatraſſe; hos vero duos Chriſtum, eiuſque doctrinam fuiſſe ſtatim ſecutos ait; quo differentiam internæ motionis, & vocationis intimationi teſtimonij, & prædicationis Baptiſtæ in his præ aliis adiunctæ, manifeſte recognoſcit, atque de duobus ſequentibus ait illico Chriſtum ſecutos: vt oſtenderetur nullo eos humano motiuo, incitamento, (ac ſi diceret ſolo diuino) repente audito Magiſtri teſtimonio illum ſequendi ſanctam determinationem concepiſſe, Chryſoſtomi verba ſunt. *Maximum autem argumentum eſt recta eos mente ſecutos, quod nullo hortatu (ſuſpicioſum enim fuiſſet) ſed ſolo auditu, quod in ſpiritu ſancto eſſet Baptizaturus ſequuti ſunt*: quæ interpretatio germanior mihi viſa eſt, illa, quam dedit Sixtus Senenſis ſ. Bibliot. annot. 101. quod ſcilicet Chryſoſtomus de gratia ſubſequente, & habituali loquatur, dum gratia nos præueniri negat.

4. De reliquis vero primoribus, & quaſi Principibus Sanctorum Patrum, Damaſceno, Cyrillo Alexandrino (etſi qui ſimiles alij ex Græcis in Semipelagianiſmi ſuſpicionem vocantur) tametſi eorum defenſio à pleriſque deſperetur, cenſeo tamen illos nullatenus Semipelagianiſmo, & Maſſilienſibus præluxiſſe; licet hi ſe eorum teſtimoniis protexerint, & citata loca eum errorem ſonent.

Moueor

Moueor: quia,vt vidimus tom.1. de Deo vno controu.3. d.1. q.2. vbi de Patrum circa prædeterminatiua decreta Dominicanorum Recentiorum ſententia egimus, eorundem Patrum teſtimoniis plurimis oſtendimus recte eos de indifferente arbitrij noſtri gratia etiam à Deo præuenti, poteſtate docuiſſe, atque noſtræ libertatis cum efficaci Dei gratia percaluiſſe concordiam: quare eos,vt humani arbitrij ſeruarent libertatem gratiæ præuenientis ad quodvis bonum opus neceſſitatem negaſſe credibile non eſt. Maxime cum ijdem omnes gratiam prædeſtinationis, & vocationem ſecundum propoſitum miſericordi, gratuitæque Dei voluntati vbique tribuant, & magnifice commendent: quare eos gratiam in totum arbitrij noſtri opera ita præuenientem, vt in eis edendis ſuas ipſi partes non relinquat, quas habere recitatis ibidem locis aſſerunt, & contendunt ſolummodo negant, quo etiam pacto explicandus venit Marcus Eremita ſanctitate, doctrina,& miraculis illuſtris tom.5.alias3.Biblioth.Patrum lib.de paradiſo & lege ſpirituali in Proœmio ſcribens. *Iubet Deus, vt homo in primis cognoſcat, & , cum cognouit, amet, & voluntatem depromat: vt autem mens exerceatur,laborem perferat, vt autem opus aliquod perficiat gratia Dei largitur volenti, & credenti: quare voluntas hominibus eſt,velut auxilium à natura inſitum, qua abſente, ne Deus quidem, quidquam operatur, tametſi facultate non caret: quod fit ob humani arbitrij libertatem, igitur operis perfectio Dei eſt, voluntas autem hominis*: quibus Dei, eiuſque gratiæ operis perfectionem ſiue opera perfecta ſolum videtur tribuere; bonum vero affectum hominis voluntati & arbitrij viribus, quas Dei auxilium naturæ inditum appellat: vtrumque vero Semipelagianum explorato eſt. Sed tamen non auxilium, vt Semipelagiani, ſed *velut auxilium* improprietatem loquendi denotans, dixit, conſequenter ad ea quæ anterius dixerat: Deum facultatem bene operandi nobis tribuere, ab eoque ſemper in virtute præueniri, nunquamque ipſum à nobis, adhuc in bona voluntate ex Pauli ſententia, *ipſe eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*: & ſuperius paululùm ex 1.Cor.12. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto*, dixerat, *quomodo quis orabit niſi in Spiritu ſancto?* & ſub oppoſita verba, exemplo ferri arte facti ſcindentis, non ſuo: ſed artificis impulſu, ſubdit. *Hunc in modum homo, licet exerceatur, & laboret operans, quod bonum eſt, Dominus tamen clam in ipſo operatur*: & ſub primo capitum titulo c.1. *Primum omnium certo ſcimus Deum totius boni eſſe authorem, cum principium, tum medium, tum finem porro impoſſibile eſſe nos, quidquam boni, facere, aut credere, niſi per Criſtum Ieſum, & Spiritum ſanctum omne bonum à Domino gratuito nobis datum eſt.* Vnde inferius de bonis operibus gloriandum nobis non eſſe ſæpe deducit c.4. *Omnis virtutis initium, & Auctor Deus eſt: vt Sol diuini luminis*, in quam ſententiam ſub titulo 2. c.2. & 56.& 154.frequens ſcripſit: cæteros Patres, cum Græcos,etiam Damaſcenum & Cyrillum, & aliquot Latinos, qui aliquando Semipelagianiſmo videntur adſonaſſe multa eruditione ab eius ſuſpicione liberat noſter Ruiz d.28. fere tota, quæ omittimus breuitatis cauſa: quia reliquis Patribus de errore Semipelagiano lis intentata non eſt. Denique Auguſtinus aliqua, aliud, vt ipſe ait agens, quæ videntur Semipelagianiſmo præluxiſſe, & quibus Maſſilienſes pro ſe Auguſtinum, eiuſque Aſſeclas Proſperum, & Hilarium redarguebant, vt conſtat ex obiectionibus Vincencianis, & capitulis Gallorum. De eis tamen nihil agendum hic eſt: tum, quia, quæ bonum, & Catholicum ſenſum habebant, retractauit ipſe 1. de Prædeſtinatione Sanctorum c.3. & 1. retract c.23. pleraſque,quæ autem bonum capiebant ſenſum,explicuit, tum per ſe, eis libris & reſcriptis ad Proſperum, & Hilarium,tum rogatus per Proſperum, ad obiectiones Vincentij, & Gallorum capitula.

5. Orto verò iam Maſſilienſium errore, eiſque ab Eccleſiæ Patribus bello indicto eius defenſores Patres aliquot notantur, quorum hic etiam cauſam examinare oportebit. Primus accuſatur Gennadius Epiſcopus paulò poſt Caſſiani doctrinam Catholicam immerito diffamatam à Proſpero dixerit recitatis ſupra verbis certam. 2. ex ſuo libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, cum tamen Caſſiani doctrinam de gratia & libero arbitrio doctrinæ Proſperi contrariam his immediatè ſubnexis fateatur. *Re enim vera Caſſiani, & Proſperi de gratia Dei, & libero arbitrio ſententiæ in aliquibus ſibi inueniuntur contrariæ.* Cum tamen Proſperi ea de re doctrina, cæterorum cum quibus pugnabat doctrinis,vtpotè ad purum Auguſtiniana,& Patribus conformior à Celeſtino, aliiſque ſummis Pontificibus prælata videatur. Baronius, Gordonius, & Gualterus, Gazæuſque ita de illo cenſent; licet, cum illum Maſſilienſem Epiſcopum factum poſt modum videant, cum iam male error Maſſilienſium in Eccleſia audiret, duo primi tunc iam ea ſuſpicione liberatum eſſe aiunt, cum in Epiſcopum aſſumptus eſt: ſed rogare illos vellem vnde tunc illa fuerit ſuſpicione Gennadius liberatus? An retractatione erroris prioris, de ea quippe nullum eſt in eius ætatis monimentum. An, quia male fundata contra ipſum ſuſpicio collapſa eſt? Id credo: ſed inde nunquam illum Maſſilienſibus conſenſiſſe demonſtratur, vt cenſet Soarius Prologomen.5. de grat. c.5. num.35. cui ego ſubſcribo, ex Platina etiam, qui in vita Symmachi Pap.eum diligentem Auguſtini imitatorem appellat, & authorem libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui Auguſtini nomine circumfertur, fuiſſe iudicat: & Adrianus Papa epiſt.1. ad Carolum Regem, quæ eſt 3. tom.1. epiſtolarum Pontificum pag.737.eum Sanctum, & Catholicum appellat,& cuius proinde teſtimonia,tanquam magnæ in Eccleſia à Prædeceſſoribus Pontificibus,& Conciliis fuerint recepta,atque ex vſu pro ſuis dogmatibus conſtituendis: quare eorum exemplo pro ſanctarum reliquiarum veneratione, de qua ibi Adrianus ſcribit, Gennadij teſtimonia producens ait: *In ſacris prædictis Conciliis prædeceſſorum meorum Sanctiſſimorum Pontificum hæc oblata ſunt teſtimonia.* Quod ſi aliquam Pelagiani, ſeu Maſſilienſis erroris ſuſpicionem Gennadius aliquando incurriſſet minime fieret: à Proſpero autem non ſatis æque intellectum Caſſianum Gennadius queritur, & immediate ait: re enim vera illos diſſentire: tum, quia diſſenſſus vera cauſa, non æqua Caſſiano Proſperi interpretatio,fuerit: vnde Celeſtini ad Epiſcopos Galliæ pro Proſpero, & Hilario contra Maſſilienſes approbatio Gennadij doctrinam non tangit: vt ſupra de Caſſiano dicebamus.

6. Fauſtum Rhegienſem erroris eiuſdem reum agunt Ioan.Magentius, & Petrus Diaconus, & Fulgentius Ruſpenſis,qui teſte Iſidoro de viris Illuſtribus ſeptem libros contra Fauſtum ſcripſit. Ado Viennenſis Cæſarius,& Auitus etiam Vienenſis & Baronius hunc libris eius de gratia, & libero arbitrio ab hoc errore non liberat, vti nec Vaſquez, & Soar. locis citatis: ſed tamen eum ab eo longe ſe motum habendum cenſent Gennadius de viris illuſtribus in *Fauſto*. Tritem. de Scriptoribus Eccleſiaſticis pagina 236. Driedo de captiuit. & redempt. generis humani tract.4. c.2. p.4. quibus ego etiam ſubſcribo. Primò ob eius ſanctitatem publico, & annuo cultu ab Eccleſia Rhegienſi 16. Ianuarij celebratam. Secundo ob inſignis ſanctitatis, & doctrinæ Fauſta repetita à ſancto Sydonio Appollinari Epiſcopo Albernenſi ipſius coætaneo duabus epiſtolis, & quodam Euchariſtico de Fauſto. Tertio, quia Concilium Arelatenſe ipſi commiſit, vt Concilij nomine, & ſuo epiſtolam ad Lucidum Presbyterum Gallum contra errorem prædeſtinatorum, quo erat infectus ſcriberet cui prorſus catholicæ & doctæ eius Concilij Patres ſubſcripſere; id autem muneris doctori non per omnia probatæ doctrinæ, ſed de errore aliquo ſuſpectæ non committeretur à Patribus Concilij. Quarto, & præcipue,quia ſexcenties Catholicam hac de re doctrinam profeſſus eſt,atque inter duos extremos eius temporis errores, alterum ſalutis noſtræ negotium totum Dei gratiæ & prædeſtinationi, abſque arbitrij, & libertatis noſtræ vſu tribuendum, alterum illud totum arbitrij facultati deferentium vtrumque egregiè confutat, vt ait Driedo, gratiæ, & liberi obſequij noſtri neceſſitatem prædicans & probans libris de gratia, & libero arbitrio ex quibus impetitur, lib.1. c.6. vtrique errori ſcripturæ eripit arma ſuamque Catholicam de vtriuſque (gratiæ ſcilicet & libertatis noſtræ) neceſſitate exprimit, vt cum alterius neceſſitatem contra alterum ex illis errorem ſeorſim probat, negari à ſe alterius neceſſitatem nemo decipiatur: eius verba ſunt. *Sic apud regeneratos, quando gratia ſine labore; vel labor ſine gratia in ſcripturis ponitur;*

nitur;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nitur, ſupprimitur, non ſeparatur: cum vnum ſine altero dicitur tacetur alterum, non negatur: ſecundum illam regulam, quam Antiſtes Auguſtinus inſinuat: non omnia quæ tacentur negantur.* Atque è Paulo 1. Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego, ſed gratia Dei mecum, ſic monet: vide quo modo ad gratiæ donum ſemper iungit laboris obſequium: & quia mentionem ſolius laboris intulerat, cito, quaſi ad amplexum matris gratiæ recurrit, dicens. Sed gratia Dei mecum: gratia Dei ſum id, quod ſum. Primas partes ſoli gratiæ pie ſubiectus adſcripſit: media quoque labori Magiſter obedientiæ deputauit: vtrumque in conſummatione moderatus gratiam laboremque coniunxit. Non dixit ego ſine gratia, vel gratia ſine me; ſed gratia Dei mecum: quæ prius ſigillatim diſtincta protulerat, quam bene in ſermonis fine connexuit!* Cui ſententiæ inſiſtit c. 15. 16. & 17. vbi hæc: *Græca ſententia nimietates, & æqualitates ſunt ſimilis improbitas: par impietas, ſi totum ſoli gratiæ, vel ſi totum ſoli adſcribatur labori: quid nos oportet inter iſta ſentire? niſi, vt ſemper gratiæ ſubijciamus laborem, & ſemper gratiam cum labore ſociemus: ante omnia arrogantiam laboris fugiamus.* Quid pro Catholica neceſſitatis gratiæ veritate cautius, id forte ex c. 11. *Qui, vel initium operis ſibi præſumit arrogare vel finem, ad illum merito dicitur: niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam:* immò plerіſque locis, ex quibus ipſe erroris Maſſilienſis ſiue Semipelagiani arguitur: vti ex c. 4. vbi contra prædeſtinatores ait. *Tu intra gratiæ vocabulum includis fatale decretum, ſi vnus ad vitam, alter ad perditionem, vt aſſerunt, deputatus eſt, ſicut quidam Sanctorum dixit non iudicandi naſcimur, ſed iudicati.* Quibus, ne ſugillare Auguſtinum nomine cuiuſdam, dicatur, illud *Sanctorum* prædeſtinatores referre, non Auguſtinum, Fauſti defenſores ingenioſi aiunt, quod eſt plane falſum: cum Sanctos nominare non poſſit, quos Hæreticos confutat, & appellat, Auguſtinum ergo, vel Catholicum alium Patrem ibi allegat, prædeſtinatores & fatales Hæreticos ab abſurdo, quod ex eorum ſententia *non iudicandi, ſed iudicati naſcamur* confutantem: ſiquidem non ex induſtria vlla & cooperatione libera arbitrij noſtri gratiæ Dei iudicabimur, ſaluabimurque, vel damnabimur.

6. Cum autem ait capite 16. *Quod ſi (quemadmodum abrupta* prædeſtinatorum *blaſphemat impietas!) alij ad mortem præordinati, alij prædeſtinati videntur ad vitam: nullam Chriſti veniendi cauſam; nullam moriendi habuit neceſſitatem.* Hæc autem, tametſi prædeſtinatorum errorem abiiciant, quia ex fatali neceſſitate peccandi peccatum noſtrum, quod tota veniendi, moriendique occaſio Chriſto Domino fuit, peccatum non fore conuincitur, etiam negantes gratiæ Dei neceſſitatem ad bene operandum, & ſalutem conſequendam refellit: ſiquidem Chriſtum veniſſe, mortuumque fuiſſe, vt gratiam nobis ad bene operandum, & ſalutem meritis ex gratia ipſius profectis conſequendam nobis promereretur, atque ita nos redimeret, æque dogmaticum eſt: ac proinde ſublata libera noſtra cooperatione gratiæ Dei prædeſtinatorum hæreſi Incarnationis finis primarius, ac ſubinde Incarnatio, eiuſque neceſſitas auferretur; quæ tamen per eam hæreſim non auferretur, etſi id abeſſet, cum poſſet dici à prædeſtinatoribus Chriſti aduentum, & mortem præuiſo peccato expectatum fuiſſe, vt ſaluandos prædeſtinaret: quare ibi Fauſtus potius qua negantes gratiæ per Chriſtum, neceſſitatem ad bene operandum confutat, quam abſolute qua prædeſtinatores, id quod ex c. 8. ad ea verba: *reddet vnicuique ſecundum opera ſua;* opponitur nempe, *vbi ſalutem hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis largitor gratiæ collocauit,* opponitur, potius Catholicam mentem Fauſti oſtendit: cum largitionem gratiæ à ſalute diuerſæ: quare, & gratiæ auxiliantis ad famulantis operationem expreſſe admittat. Aliud ex c. 12. *filium prodigum per inſitum ſibi bonum ad Paternos recurriſſe amplexus,* mirum eſt à Theologo, non prorſus inerudito opponi, cum ſubdat: *ſed gratia quæ pulſauerat peregrinantem ipſa ſuſcepit reuertentem,* quem ſenſum habet, quod de Abel ait lib. 2. c. 6. vbi ante legem (ne de illa gratiam, quam fatetur, intelligas) diuinæ munificentiæ dona viguiſſe fatetur, atque ſanctum Abel ex fide inchoaſſe, & profeciſſe his docet, *niſi fides, quæ eum virtutum amatorem fecerat inſpiraſſet.* Ea vero Dei donum fatetur ibidem ſcribens: *quod nequaquam obtinere potuiſſet, niſi ad Domini donum* (fidei) *famuli acceſſiſſet obſequium.* Conſonè c. 4. ad id *operamini cibum, qui non perit,* dixerat: *cibus, id eſt intellectus litteræ perire, cibus vero gratiæ, id eſt fidei permanere deſcribitur,* & c. 5. *quod creditur gratiæ largitas eſt,* quod autem eius infenſi cenſent eum gratiæ præuenientis quodvis bonum opus nomine gratiam creationis cum Semipelagianis intelligere; non æqua, ſed male ſana præiudicij contra ipſum ſuſpicio eſt. Id etiam vti vrgentiſſimum à Magiſtro meo Daza contra Fauſtum producitur ex lib. 2. c. 8. *Nec hoc quidem videbor incautus, ſi profitear: quod aliquoties in diſpoſitionibus noſtris, non quidem in vitæ noſtræ primordiis; ſed duntaxat in mediis gratias ſpeciales, & ex accidenti largitate venientes voluntas noſtra, Deo ita ordinante, præcedat: vis ſanus fieri: & baptizandus interrogatur. In Centurione, Cornelio, præceſſit voluntas gatiam. Nihil hic, vt opinor redolet præſumptionis: cum, & hoc ipſum inceſſabiliter aſſeram: quod Deo ipſam debeam voluntatem. Præſertim, cum in omnibus eius motibus ad opus gratiæ referam, vel inchoationis initia, vel conſummationis exordia.* Ex hac autem diſiunctione videtur Fauſtus bonæ voluntatis initia non gratiæ ſemper & neceſſario deferre: cum ad conſummationem præire latis putet. Hic etiam locus, quod ſæpè diximus, & obſeruauimus, probat: quanti ſcilicet ad ſententiam tandem in rebus ferendam referat præiudicium diſputantis: cum profundus adeo, atque omnis litteraturæ, etiam latinitatis, peritiſſimus Doctor quæ in eo loco excuſare non poſſent minime viderit. Primum particulam *vel* copulatiuæ particulæ vim, & ſignificationem habere apud peritos Latinos, (ex quibus Fauſtus) elegantiſſimam, vt in dictionariis Stephani, & auctioribus Calepinis eſt videre. Sæpe Terentius & Cicero ea illum acceptione eleganter vſurpant, illa Ciceronis de claris Oratoribus phraſis nunc ſatis ſit, *Multorum, vel honori, vel periculo ſeruire,* id eſt, *honori & periculo,* id eſt tam vni, quam alteri, ſiue vtrique, ac noſtro Hiſpano idiomate vox *ò* quæ particulæ *vel* reſpondet, eum vſitatiſſimum coniunctiuum ſignificatum ſatis elegans habet, *ayudarete, ò comienzes, ò acaues, amarte, ò me ames, ò me abhorreſcas.* Sicque à Fauſto hic accipi *vel* textus ipſe demonſtrat. Cum præuentionem gratiæ à voluntate *non in vitæ primordiis,* id eſt primis vitæ ſpiritualis operibus, & voluntatibus ſalutis initiis vtes gratiam Dei præueniri excluderet, ſed vlteriores ſpeciales gratias Dei, & largitates primis his voluntatibus, & ſalutis initiis ex Dei etiam gratia ſubortis conceſſas, vt ſtatim ait, illas ipſas primas voluntates Deo etiam ex conſtanti ſententia ſua deberi. Denique lib. 1. c. 17. ait abſurdum inferт. *Si hæc Dei trahentis miſericordia, non niſi digno datur, iam gratia Dei humanæ vtcunque ſeruituti impenditur.* Ex loco autem antecedente refutatur apertè Vaſquez d. 91. c. 9. n. 51. aſſerens Fauſtum Caſſiano peius erraſſe: quia exiſtimauit in omni opere bono incipere, & gratiam præuenire debere.

7. Quæ verò erroris Semipelagiani præfatis Authoribus ſuſpicionem in Fauſtum mouerunt leuiora ſunt, quam, vt contra eius tot locis expreſſam, & conſtantem ſententiam, poſſint præualere, & ſane Ioannis Maxentij in reſponſione epiſtolæ Hormiſdæ Pap. ad poſſeſſorem, & Petri Diaconi libro de Incarnatione cap. 8. qui de Semipelagianiſmo Primi Fauſtum infamarunt authoritas non magni ponderis eſt. Cum à Monachis Scythiæ pro ſua cauſa (quam Euthychianam nonnulli cum Baronio cenſent) Romam fuerint miſſi: deinde reſponſio illa Maxentij imprudens Hormiſdæ reprehenſio eſt: quare nulli eius in ea, vt minimum epiſtola, criminationi fidem facit. Denique Petrus Diaconus, vt in Proſpero dixi doctrinæ Auguſtinianę zelo aduerſas vmbras facile diſſipabiles potuit inſectari: certe de Fulgentio Ruſpenſe Iſidor. de viris illuſtrib. aut ſcripſiſſe ſeptem libros contra Fauſtum, qui tamen cum nullibi operum Fulgentij, immo nec Scriptoris alterius mentione extent, rumore aliquo vago illos Iſidorum memoraſſe veroſimilius eſt. Fauſtum à Fulgentio conuerſum ex Pelagianiſmo libros prorſus Catholicos de gratia & libero arbitrio in Fulgentij gratiam ſcripſiſſe eius defenſor Trithemius ait: id tamen ſomnio ſimile eſſe oſtendit noſter Gueſnay lib. 1. Caſſiani illuſtrati c. 63. n. 18. Quod autem Fauſti opera in Apocryphis cap. *Sancta Romana,* 15. d. à Gelaſio Papa numerentur, non

æqui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

æquus de illis ſparſus rumor à Petro Diacono, & priſcis citatis in cauſa fuit, promptamque habet in ſimili de Caſſiano datam ſolutionem. Ruffinus eiuſdem erroris ſuſpicionem ſubiit cum ob Proſperi epiſtolam ad ipſum, tum quia eius opera citato eius capite *ſancta Romana* in Apocryphis recenſentur, ſed ob prædicta leuem contra ipſum coniecturam hæc faciunt: maxime cum eius opera à Gennadio laudentur. Denique Vincentius Lirinenſis ſimilem fuit apud aliquos calũniam paſſus, nullo alio titulo, quam inerudita eorum æquiuocatione, quod cum Maſſilienſi Presbytero Vincentianarum obiectionum quibus Proſper reſpondit nomine conuenerit: cum re profeſſione & loco adeo fuerit ab eo diuerſus. His ergo à Maſſilienſis erroris ſuſpicione vindicatis illuſtrium adeo pietate & doctrina Patrum authoritate nudos Semipelagianos Maſſilienſes eorumque errorem adoriamur.

---

## CERTAMEN IV.

### *Maſſilienſes explorato, eorumque error confutatur.*

1. Diximus cert.2.ex hæreticis Iulianum Pelagianum, contra quem ex inſtituto ſcripſit Auguſt.eius argumentis à Pelagianiſmo in Semipelagianiſmum declinaſſe.Primum, ex eius ſententia ibi recitata claret: fuit is Memorij Epiſcopi Capuani, S.Auguſt.familiariſſimi, & filius,& Epiſcopatu ſucceſſor. Huius obiter, & argumentis inſtantibus, quaſi per vim, temperati Pelagianiſmi ſententiam Maſſilienſes Presbyteri, magnam partem, neque moribus & doctrina ignobiliorem amplexati, ac mordicus tutati ſunt: eorum plerique ſolo Maſſilienſium, Gallorumque nomine nobis innoteſcunt, collatoq; ſtudio aduerſus vitæ iam functi Auguſt. Commentarios contra Pelagianos quindecim capitula ediderunt, Vincentius vero Maſſilienſis Presbyter, pro cauſa communi Maſſilienſium priuatum ſtudium,& laborem aggreſſus, obiectiones ſexdecim contra eiuſd. Auguſt. ſuper prædeſtinationis noſtræ negotio doctrinam ſcripſit: quæ de eius nomine à Proſpero, & reliquis poſtea Vincentianæ obiectiones nominantur: eo nimirum animo, vt infamata Auguſtini doctrina, in qua, non Pelagiani ſolum, ſed & Semipelagiani ſui erroris amuletum repoſitum videbant, hæreſis ſuæ contagium latius, longiuſque propagaretur. Quibus effectum eſt, vt quamvis Proſper eis obiectionibus: quantocyus multa eruditione,& ingenio occurrerit, nihilominus contagium multas Eccleſias Galliæ peruaſerit in quibus Genuenſis fuit, ex qua Presbyteri Camillus,& Theodoret.decem alia capitula pro ſua doctrina contra Auguſtinianam euulgarunt, quibus etiam Proſper ipſe reſpondit: eiuſdem erroris aſſecla habetur vitalis quem à nemine excuſari video, imò ab Auguſt.accuſari epiſt.107.contra ipſum, atque initium fidei ex nobis concedit, quin ex aliis eius locis Catholicam doctrinam de neceſſaria præcedentia gratiæ ad bonum quippiam expreſſerit, vt in bonum ſenſum cum aliis hactenus explicatis interpretationem mereatur: imò, vt obſeruat Herize d.25.c.7.n.72. an Pelagianiſmum à ſe excuſſerit. non ſatis conſtat. Denique Raymund.Lullius Catalaunus Mercator in quingentis articulis à Leone 11. damnatis in directorio inquiſit. p.2. q.9.hunc habet ſexageſimum quartum. *In faciendo bono non oportet nos ſperare, quod Deus incipiat: quia iam incepit, quando nos creauit*: quibus gratiam creatiuam ſolum creationis cum Semipelagianis ad bonum inchoandum, vt minimum, admittit: imò vero, cum indefinita propoſitio de bono faciendo ſit, Pelagianum potius errorem, quam Semipelagianum videtur continere,& art.7. *Homo poteſt venire ad ſalvationem per virtutes morales: & habere de gloria paradiſi tantum, quantum vult habere*: quod poſtremum, etſi benignum habere ſenſum in homine non adeo rei Theologicæ ignaro, nec de illuſione Dæmonis ſuſpecto, quia ad virtutes morales gratiam Dei per Chriſtum non negat; tamen ex recit.art.64. conſtat eum nullam aliam, quam creationis gratiam recognoſcere: quo argum. idem error videtur contineri in articulis 62.65.66.67.68.69. in quibus, nulla gratiæ mentione, ſæpe aſſerit liberam hominis poteſtatem adquirendi virtutem contemplationem amorem, & amicitiam Dei, quantum, quando, & vbi vult. Quod, vt dixi, non Semi, ſed toti pelagianiſmus eſt.

2. Contra hunc tamen errorem dogma Catholicum fidei eſt, nullum opus ex naturæ, & arbitrij ſolum viribus elicitum primam gratiam prædeſtinationis ad gloriam, quantumvis tenuiter,& occaſionaliter, ſiue, vt anſulam adhuc, promereri: quare nec propriæ prædeſtinationis adæquatè,& ſecundum ſua omnia obiecta, & effectus ſumptam, cauſam efficientem exactiuam,& vllatenus meritoriam dari ex nobis poſſe. Definita hæc veritas contra Maſſilienſes fuit primo à Celeſtino Papa epiſt.1.c.7.8.& 9. ex quibus illud aſſumo, quo Catholicam noſtram ſententiam in ſcripturis, vbivis ea de re agitur, expreſſam teſtatur his verbis: *in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non niſi adiutorium Dei legimus eſſe nectendum: eamque nihil poſſe cœleſtibus auxiliis deſtitutam.* Sed & illud ex c.8.non reticendum: *quod omnia ſtudia, & omnia merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſint: quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo, quod ipſe donauerit*. Repetit c.12.tanquam communem ſuorum prędeceſſorum ſententiam, nec dubitandum *ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quam fit vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.* In quibus capitibus plura ex Innocent. 1.epiſt.ad Concil Mileuit.quæ eſt 26. & inter epiſt.Auguſtini 93. atque etiam ex Zozimo Pap. epiſt.ad Epiſcop. Africanos. Notatur vero: margine epiſtolæ Celeſtini 1.c. quæ pro hac veritate recitantur ipſi adiecta fuiſſe, non à Celeſtino ibi ſcripta ſed vt non ex malitia, ex ignorantia notatum eſt: cum eadem à Proſpero contra Collatorem c.10.& à Petro Diacono de Incarn. & grat.c.8.ex Celeſtino recitentur. Adde pro eadem veritate Leonem Mag.epiſt.decretali ad Nicetam Aquileyenſ. Epiſc.86.alias 85. c.3. & ſerm.1. de ieiunio decimi menſis Gelaſium Pap.tom.de anathematis vinculo inter medium, & fin. Definita etiam contra eoſdem poſtmodum fuit ab Arauſicano 2.can.3.4 5.6.7.8.14 16.17.18.25.& à ſynodo Moguntina habita anno 1594.c.7. §.2. ac demum à Tridentino ſeſſ.6.cap.5.ſunt autem aperta,& frequentiſſima veritatis eiuſdem teſtimonia, quæ præfata Concilia pro citatis ſuis definitionibus,& Patres præſertim, qui contra recens ſubortum errorem Maſſilienſium pugnarunt) Auguſtinus, ſcilicet, Proſper, Hilarius & Fulgentius) producunt Pſalm.55.verſ.8. *Pro nihilo ſaluos facies illos*, iuxta doctam, & ſubtilem ad rem hanc Hieronymi interpretationem Dialog.2.cont.Pelag.Auguſt.1.de prædeſt.Sanctorum c.6.Proſperi ad dub.4.Genuenſium. Secundo Iſai.65. *Inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*: quo teſtimonio vſus eſt Paulus ad Rom 10.n.20. Tertio ex Paulo eximio, omniumque ſapientiſſimo gratiæ Dei per Chriſtum Prædicatore 2. ad Timot.3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid* (quovis ſcilicet modo, graduque ad ſalutem conducens (*ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 1. Corint. 12. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſu niſi in Spiritu Sancto*. Quibus locis ad rem hanc iidem Patres,& Arauſicanum Concil.2.Can.6.ac Patres reliqui vtuntur. Item 1. Corint.4. *Quis eſt qui te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* & quamvis ad litteram: non de gratiæ internæ acceptione à Deo, ſed Prædicatorum ſit, de quibus fruſtra, ad emulationem & contentionem Corinthij gloriabantur materiæ tamen vicinitate, & intento etiam ab Apoſtolo vlteriori ſenſu, ad gratiæ internæ, & bonorum operum omnium à Deo acceptionem textum intelligunt, Proſp.Fulgent & Arauſic.Concilium cit. Can.6. & ex ipſis poſt hæc Theologi Catholici omnes, 1. ad Philippenſ.1: *Qui cœpit in vobis opus bonum* (Chriſtus nempe) *perficiet vſque*,&c.c.2. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quibus aperte operis, & voluntatis bonæ inceptio atque initium, nec tantum eius perfectio, Dei gratiæ ab Apoſtolo tribuitur: quare eis teſtimoniis contra Semipelagianorum errorem plures anticipato, & ante eius ortum, ac poſt ipſum natum, cæteri Patres,& Theologi in primis vſi ſunt.

3. Sed epiſtola ſua ad Romanos totus eſt Paulus in hac veritate demonſtranda nempe opera legis, etiam ſcriptæ, abſque Dei gratia eiuſque adiutorio per Chriſtum exhibita, nullatenus ad ſalutem, & prædeſtinationem ad gloriam poſſe inſeruire: vtque ea ratione Romanis, & reliquis gentilibus ſalutis per fidem, & gratiam Chriſti conſequendæ animos faceret, ad fidemque & Eccleſiam Chriſtianam pertraheret: iuſtus texeretur tomus, ſi omnia, quæ ad rem præſentem in epiſtola faciunt eſſent pendenda, præſertim c.9. ex quo non pauca expendimus ſupra, dum gratuitam noſtri à Deo prædeſtinationem d.1.ſtatueremus. Sed, quoniam eo Pauli inſtituto, ac intento propalato ſemel, quicunque eam epiſtolam legat attente, ea omnia facile ad noſtrum inſtitutum poterit obſeruare: vnum tandem eius textum producam, in quo non ſolum noſtra Catholica concluſio, ſed validiſſima contra Semipelagianos ratio continetur: extat tamen citat. epiſt c.11.num 5. vbi, poſt quam ſalutem, ac prædeſtinationem ad illam non, niſi ex gratia Dei, fuiſſe, eſſeque anterius probauerat, concludit: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*: vnde arguit. *Si autem gratia, iam non ex operibus*, gratiam non ſupponentibus *alioquin gratia iam non eſt gratia.* Cum autem Semipelagiani electionem ad ſalutem, ſiue prædeſtinationem electionem gratuitam, & gratiæ eſſe admittant, vt debeant, eodem Pauli argumento ad contradictionem è ſuo errore (quod ſcilicet gratia prima, ac ſubinde prædeſtinatio ſecundum ſe totam, ſuaque obiecta, & effectus omnes adæquate ſumpta ex operibus naturæ ſit) deducuntur: quod nimirum gratia, quam aſſerunt, gratia non ſit. Huic Pauli teſtimonio, & argumento vtpote contra Semipelagianos validiſſimo ad eos confutandos inſiſtunt Concil. Arauſic. 2. Can. 6. 17. & 25. Tridentinum ſeſſ. 6. c. 5. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum c.2. *Quæ vtique*, inquit, *non eſt gratia, ſi eam vlla merita præcedunt*, & libro de geſtis contra Pelagium in Concilio Palæſtino (qui extat apud Soarium tomo primo de gratia Prologom. 5. capite ſeptimo) ſic ait. *Ipſum quippe gratiæ nomen, & eius nominis intellectus aufertur, ſi non gratis datur*: quæ repetit inferius. Fulgent. de incarn. & grat. c.18. *Iniuſte dicitur gratia: quia non gratis homini datur, ſed bonæ retribuitur voluntati*: ac infrà. *Atque ita gratiam non miſeratione tribuentis ſed æquitate Dei retribuentis accipimus.* Et hanc rationem ex Paulo deſumptam præcipuam contra Semipelagianos reputat Vaſquez noſter citata d.91. capite 15. vberiuſque proinde perſequitur, ac egregiis Patrum teſtimoniis confirmat. Priuſquam firmiſſimæ huius rationis ſolutiones præcludam, non poſſum non aliam rationem Auguſtini contra Semipelagianos proponere ex quæſtione 68. libri octoginta trium, æque, ac breuem, efficacem: *Licet quis ſibi tribuat, vt vocatus veniat* (id enim ſuæ libertatis eſt) *non tamen poteſt ſibi tribuere, quod vocatus ſit*: ſiquidem ſuæ poteſtatis, & libertatis non eſt, quod vocetur.

4. Sed tamen cum Semipelagianus, Maſſilienſium error meritum, non quidem condignum gratiæ, ſed congruum, exiguum, ac tenuiſſimum, ex congruis etiam, & anſulam qualem qualem ex noſtris viribus ponerent, vt conſtat ex dictis certamine 1. & ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum non ita videtur efficaciter ratio hæc contra Semipelagianos concludere: ſiquidem Vega in Trident. lib. 8. c. 4. exiſtimat meritum congruum ab eo, quod ob illud donatur, rationem gratiæ non auferre, ſed meritum ſolum condignum ipſius, cui ſententiæ adfauiſſe dicitur Cardin. Tolet in c. 8. ad Rom. vbi tamen ſolum docet conditionem ſolum ſine qua non, vt manus extenſio recipientis ad donantem, in qua nulla meriti ad donum ratio datur, rationem gratiæ in hoc nullatenus impedire. Cæterum doctrina hæc Vegæ Apoſtolo, Patribus & Conciliis præfatis, & naturali philoſophiæ eſt aduerſa. Etenim Apoſtolus de operibus legis, abſque gratia, ac ſubinde viribus arbitrij, & naturali eius facultate exhibitis, quæ cum electione gratiæ æqualitatem non habent, neque non habere condignitatem ad illam Paulus ignorabat, dixit euacuare rationem gratiæ, ſi ex illis electio gratiæ haberetur, conferreturque gratia à Deo: ergo ex Paulo meritum congruum ſolum, qualecunque, deſtruit rationem gratiæ in eo, quod ob illud donatur ex Pauli ſententia: inſuper ex Patrum ſententia, qui eius conſequentiam contra Semipelagianos vſurparunt: cum enim initium, (vt ad euaſionem argumenti aſſumebatur) Maſſilienſes meritum ex viribus ſolum naturæ ad gratiam, & prædeſtinationis ad gloriam, & ſalutem initium, ac proinde congruum ſolummodo prætenderent: imò gracillimum, & vix meriti aliqualis rationem attingens, quodque ideo anſulam ad eiuſmodi prædeſtinationem & gratiam appellabant: male Patres inferrent gratiam non fore gratiam, ſi meritum congruum ſolum, neque illius æqualitatem, & condignitatem attingens rationi gratiæ non aduerſaretur. Tertio doctrina hæc rationi, & Philoſophiæ naturali opponitur. Primo quia, ſicut beneficium conferre intuitu cuiuſvis retributionis accipiendæ rationem liberalitatis, largitatiſque, ac proinde puri beneficij, & gratiæ euacuat: vti etiam illud conferre ratione cuiuſvis rei acceptæ. Ratio autem vtriuſque & à priori eſt: quia largitas, & liberalitas ſtricte dicta, atque gratia, ad purum, accepta commodum, bonumque alterius ſolummodo, nihilque boni, aut commodi donatoris reſpicit: atque ex alterius, cui donatur, complacentia omnino, nuſquam vero ex complacentia donantis debet proficiſci: quare reſpectus quivis ad bonum, commodumve, aut gratum donatori, ſiue acceptum, ſiue accipiendum, quique ex alterius complacentia haberi nequit, ſed ex complacentia donatoris, puræ liberalitatis, & gratiæ rationem euacuat: ac, ſi donator gratum, ſeu ſibi commodum acceperit, ideoque aliud largiatur, quantumvis excedat, quod eius intuitu largitur virtutem propriam liberalitatis non attinget, neque illud gratiæ propriæ rem, & nomen, ſed gratitudinis ſplendidæ: ſiquidem, vt Cicero, Seneca ac virtutum peritiores ſpeculatores, & exploratores Philoſophi reliqui docent, ad grati animi officium ſpectat plus etiam referre, quam acceperint, & feracem tellurem imitari, quæ acceptum ſemen cum fœnore reddit. Quo, & ſolutioni alteri, quæ pro Semipelagianis tentari poſſet (immò & ab ipſis tentata videtur, dum merita naturæ quæ gratiæ, & prædeſtinationi prætendebant à Deo extenuebant) nempe à gratiæ, & prædeſtinationis beneficio Dei longe, & pene immenſum, quæ ſui tenuitate, excedi, ac proinde nec poſſe gratiæ rationem impedire, aditus præcluditur: quantumvis prædeſtinationis gratia ea tenuiſſima opera, & vix merita magnitudine antecedat, dummodo eorum intuita à Deo prædeſtinatio ad gloriam habeatur, & gratia donetur, gratia nuſquam erit, tametſi gratitudo eſſe poſſet.

5. Verum, etſi Doctus Vega ea in re lapſus videatur, non tamen leui offendiculo lapſus dicetur; ſed difficilis textus Tridentini occaſione, quem eo loco interpretabatur ita enim habet Tridentinum ſeſſ. 6. capite 8. *Nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promereri: & ideo hominem iuſtificari gratis.* In fide autem meritum congruum iuſtificationis eſt: Ergo meritum congruum ex ſententia Tridentini rationem gratiæ non euacuat, vt ait Vega, & pro ſolutione Semipelagianorum dicebamus; ſed ſolum meritum condignum ſubſumptum expreſſa, & repetita Auguſt. ſententia eſt epiſt. 105. *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei. Quia fide ille dicebat Deus propitius eſto mihi peccatori: & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus*, epiſt 106. rurſus. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus immò gratiſſime confitemur.* Tanta eſt huius difficultatis arduitas, vt non ſolum doctum eruditumque Theologum, Vegam deturbauerit (qui tamen poſtea capite 15. effatum illud ſuum ex c.4. ſine limitatione dicendum non fuiſſe moneat, ac proinde lectorem erat vt deleat) ſed & Primores alios Theologos turbauerit: Herice noſter d. 25. citato capite 9. numero 90. poſt impugnatas noſtrorum Soarez, & Vaſquez ſolutiones ait tandem, §. *Cenſeo ſecundo*, & ſequente Tridentinum ibi ſolum negaſſe, fidei & reliquis operibus formalem impij iuſtificationem antecedentibus meritum omne, etiam congruum ſimpliciter dictum & tale, quod ſcilicet, ſiue ex ordinatione acceptatione, aut promiſſione Dei cum præmio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mio connectatur; non autem meritum congruum, non ita connexum cum formali iuſtificatione: quare nec abſolute, & ſimpliciter tale: quod inſtituto Concilij, quod iam excluſerat Semipelagiana merita c. illo 5. erat ſatis: ſcilicet ad oſtendendum, *quomodo intelligatur impium, per fidem, & gratis iuſtificari*: vt in titulo eius capitis 8. præfixerat explicandum: quare illa ratio eo etiam c. 8. ex Paulo à Concilio ſubiuncta. *Si enim gratia eſt, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia*, non eodem ſenſu Pauli à Tridentino ſumitur, & quo capite illo 5. ſumpta ab eo Concilio fuerat, ſed alio, accomodatiſſimo tamen ad ſuum præſens ſpeciale inſtitutum. Nam, vt Paulus, & cum ipſo Concil. c. 5. ex oratione gratiæ integre, puréve ſumptæ omne meritum, quantumvis tenuè, & ſecundum quid contra Semipelagianos, vel contra Hebræos excludebant, ita ex ratione gratiæ ſimpliciter talis, quæ in formali etiam impij iuſtificatione à Concil. eo c. 8. aſſeritur meritum etiam congruum ſimpliciter tale, modo explicato, ad formalem iuſtificationem æquo robore à Concilio excluditur. Hæc tamen ſolutio, in qua Herize, quaſi in tuto quieſcit, Vaſquez & Soarez quas impugnauerat, ſolutionibus minus longe nobis placet. Primò: quia meritum congruum ſimpliciter tale, vti ab Herize explicatur, nequit fidei, & operibus, ac iuſtificationis formalis diſpoſitionibus præcedentibus ex gratia Dei per Chriſtum profectis denegari: cum extet in ſcriprura de iuſtificatione formali impij eas infallibiter ſubſequenda Dei promiſſio, ſiue extra Sacramentum per contritionem perfectam, ſiue intra Sacramentum pœnitentiæ, per imperfectam contritionem: quare difficultatis tentata ab Herize euaſio præcluditur. Secundo Concilium in ſuæ rationis confirmationem Pauli teſtimonium, & rationem producit: quod alio, quam Pauli ſenſu, & mente ipſa producere, quin accommodatitio illo ſenſu & diſcurſu afferri explicaret, indignum Concilio foret. Tertio: quia eadem ſolutione ab argumento Pauli, & Patrum, ac Conciliorum ſe poſſent Semipelagiani protegere, reſpondentes eorum omnium ſenſum, & illationem contra merita ſimpliciter talia, & pro gratia ſimpliciter tali, non autem integre, & pure tali ſolummodo extitiſſe; ipſos autem merita ex viribus naturæ tenuiſſima, & quæ vix meriti ſecundum quid, nedum ſimpliciter talis, ex viribus naturæ gratiæ, & electioni prætendiſſe, ac ſemper gratiæ, & miſericordiæ ſimpliciter talis illis adſeruaſſe, & aſſeruiſſe, vt ex memorata ipſorum doctrina patet: faciliuſque reſpondere poſſet quiſpiam in eorum doctrina iuxta meriti ſimpliciter explicationem ab Hærize datam, negando initio illi tenuiſſimo ex noſtris viribus oblato diuinæ gratiæ, & prædeſtinationis promiſſionem.

6. Porro Vaſquez ſolutio 1. 2. quæſt. 118., c. 5. num 42. (quod probabilem cenſet Soarez 2. de prædeſt. c. 6. n. 46. & in quam tandem tentatis multis recidit ipſe num. 50.) magis attigit verum, ſi duo ſeiungantur. Alterum, quod de iuſtificatione formali impij Concilium non ageret, dum eam gratis, & non ex merito fidei, & præcedentium ad iuſtificationem eſſe definit; ſed ſolum de auxiliis de primo ad vltimum fidem, merita, diſpoſitiones, ac tandem ſubſequutam iuſtificationem antecedentibus: quod aſſerit vterque, etſi Soarez agi etiam ibi de formali iuſtificatione concedat. Hoc inquam excludendum eſt, vt vera Concilij interpretatio, & difficultatis ſolutio attingatur. Nam, etſi verum ſit, (vt reuera eſt in phraſi Auguſtini) gratiæ iuſtificationis, & iuſtificantis nomine gratiam auxiliantem merito donari, vt late Vaſquez probat: aſt ea acceptione hic à Concilio non vſurpari, ſed pro gratia formaliter iuſtificante impium certiſſimum eſt. Hoc recte probat Herize num. 88. §. *verum hæc ſolutio* ex capitum contextu. Nam c. 15. ex inſtituto gratiam auxiliantem, & illam ex meritis, ſiue bonorum operum, ſiue fidei imperfectæ, atque ex viribus ſolis naturæ non dari contra Pelagianum, & Semipelagianum errorem definierat c. 6. eis erroribus iam propulſis diſpoſitiones Catholicas, & præuias ad formalem iuſtificationem, ſiue iuſtitiam, iuſti vt quid diuerſum ab ipſis, deſignat, *diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum*, & capite 7. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur*: quare vlterius de iuſtificatione, de qua proxime immediato capite, & cuius diſpoſitiones capite anteriori recenſuit, ac explicuit Concilum, agere, ac inquirere, & recta methodus exacte adeo à Concilio eatenus obſeruata, & debita claritas, æquiuocationi nullatenus obnoxia plane conuincunt. Adde id ipſum ex capitis titulo euidentius demonſtratur, is enim eſt vt nuper retulimus. *Quomodo intelligatur impium per fidem, & gratis iuſtificari?* In quibus alterum ſupponit, nempe per fidem, & conuerſionem in Deum ex gratiæ adiutorio elicitam impium iuſtificari, vt dixerat c. 6. eoque ſuppoſito alterum quærit: quo ſcilicet pacto cum earum diſpoſitionum præcedentia, quod gratis iuſtificemur, & gratiæ ratio in iuſtificatione ipſa formali ſubſiſtat? Adde ſecundo Concilium in definitionibus hiſce de gratia auxiliante nuſquam ea phraſi Auguſtini vſum gratiam iuſtificationis appellaſſe: ſed adiutorium, auxilium, vocationemque Dei. Secundum in vtriuſque ſolutione excludendum eſt, quod aſſerant fidem & opera iuſtificationem, quibus Concilium meritum formalis iuſtificationis negant, eſſe fidem, & opera ſolis naturæ viribus elicita, & Pelagiana, aut Semipelagiana: id enim capitum expenſa contextura, & eius capitis octaui titulus, & intentum ſatis reiiciunt, maxime, cum de eo ita fuerit c. 5. à Concilio definitum, vt deinceps c. 6. & 7. nulla eius erroris extiterit mentio nedum iterata definitio.

7. Excludenda tandem eſt tentata alia Soarez euaſio, qui his duobus excluſis ait; negari à Concilio congruum etiam meritum fidei, & reliquarum diſpoſitionum præcedentium ex gratiæ auxilio profectarum, quatenus ab arbitrio præcisè hominis, & nondum formaliter iuſtificati, qua ratione, & conſideratione præcisè attenta, nullam, meriti adhuc congrui, rationem fides, & diſpoſitiones præfatæ ad formalem impij iuſtificationem habent. Excludenda autem hęc euaſio eſt: quia, ſi ex eo, quod fides, & diſpoſitiones à merito etiam congruo excluduntur à Soario, quia credens, & ſe diſponens iuſtificatur iam non ſupponitur, contra Auguſtinum recitatum, & veram communemque Catholicam Theologiam à ratione meriti congrui ſubſequentis iuſtificationis excluduntur: quare, & extra Concilij mentem excluduntur, ſin autem defectus antecedentis iuſtitiæ formalis fidei, & operum, ſe ad formalem iuſtificationem diſponentis rationi meriti congrui fidei, & operum, quibus ſe fidelis ad illam diſponit, non officit, ſuperflue id atque ad confundendam vim argumenti, non autem ad illud ſoluendum adhibetur. Secundo, vt bene Hærize, cum nullus extiterit de merito congruo fidei, & operum ex auxilio gratiæ profecturum, an ea præciſione, vt procedunt præcisè ab arbitrio creato, gratiam aliquam mereantur, ſiue non, auxiliationis, ſiue iuſtificationis ſed ſolum an opera nullatenus reipſa à gratia, ſed à ſolis arbitrij viribus gratiam alterutram, qua vel adiuuatur, vel iuſtificatur operans, congrue, & aliqualiter mereantur, extra rem Concilium, quod contra errores ſubortos agebatur, & ad eas ſubtilitates ſcholaſticas attenderet, atque multo inconſultius definiret. Tertio vrgentius refello: quia, etſi opus meritorium de congruo gratiæ alicuius, quovis modo ſupernaturales abſque comprincipio gratuito, & indebito ſupernaturali iuuante arbitrij facultatem naturæ, re ipſa eſſe non poſſit, vt fides docet; aſt comparatione meriti, quod in eod. opere eſt, materialiter pure ſe habet, quin meriti rationem formaliter augeat, totaque meriti ratio, quæ in opere illo eſt, formaliter ex eo, quod ab arbitrio creato libere, ac bene eo auxilio vtente proueniat, deſumitur: ergo admiſſo (vt in hac ſolutione admittitur) opus illud ab auxilio Dei, etiam phyſicè prouenire, nec aliter apponi poſſe, meriti congrui iuſtificationis formalis catholicè in eo opere admittendi, ratio tota in eo, provt ab arbitrio creato prouenit aſſerenda contra hanc ſolutionem eſt. Video antecedens eſſe contra Soarez tom 3. de gratia lib. 12. capite 32. ita reſpondentem, & Herize illum impugnantem numero 89. §. *verum neque hæc*, & Recentiores alios: mihi autem eſt certum, lateque probatum tomo ſecundo, de ente ſupernaturali controuerſia de merito, qui prælum expectat: idcirco fundamenta perſtringam, ne impugnationis firmitas hic deſideretur.

8. Primum eſt : quia auxilium prærequiſitum ad phyſice eliciendum opus non auget eius valorem , aliquatenus eleuans dignitatem operantis , vt gratia iuſtificans eleuat dignitatem operantis,vt, quia à iuſto elicitur condignitatem meriti gratiæ pertingat opus,quod alias intra ſolam congruitatem maneret. Patet : quia,ſi loco auxilij intrinſeci ab auxilio extrinſeco potentia compleretur, opus , quod idem cum illo eliceret , eiuſdem meriti opus eliceret ; cum tamen auxilio illo extrinſeco nullatenus dignitas,& æſtimatio operantis augeretur. Secundo:quia ratio comprincipij phyſici neceſſarij ad phyſice, & libere operandum præciſe nec auget,nec minuit operis valo rem ſed id tantum habet,vt compleat potentiam, vt ſe pro libito poſſit operans ad vtrumvis phyſicè ( loquor de creatis) realiter exercere. Primo : quia entitas , ſeu facultas phyſica arbitrij,quæ alterum, & neceſſarium comprincipium phyſicum,& eſſentiale operis meritorij eſt , nec auget meritum, & valorem , etſi nobilior in vno homine , quam in alio , vel in Angelo, quam in homine, & perfectior ſit. Secundo : quia, qui imperfectius ex perfectiori auxilio operatur nunc,quam alias ipſe,vel alius cum imperfectiori auxilio operetur, non inde magis meretur,aut perfectius;quin potius imperfectius, minuſque ac debilius eius operis meritum eſt, quam ſi ex imperfectiori auxilio æque bene operaretur.Tertio probo à contrario:quia,qui maiori perfectiorique phyſice auxilio præuentus à Deo peccat non inde demeriti operis vitioſi valor ad pœnam minuitur, immò vero multum augetur. Quarto probo à priori ratione, quæ præfata omnia confirmat : quia tota meriti, & demeriti quoad intrinſecum ſumpti ratio , non quidem ex potentiæ ad phyſicè operandum, vel non operandum nobilitate,ac perfectione ſumitur , ſed ex bono, malove vſu operantis pro libito bene, vel male, & in altervtro genere perfectius,& imperfectius,intenſius,vel remiſſius,de eo enim iure laudari , vituperarique,magiſque, vel minus poteſt;non autem de excellentia,& perfectione potentiæ completæ , quia abſolutè alterutro modo potens operari eſt conſtitutus : immo inde vnice laudatur ab Spiritu Sancto. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus,&c.* Bonus autem , vel malus vſus potentiæ adæquate iam conſtitutæ proxime formaliter arbitrij , & operantis eſt , quia ſua determinatione comprincipia reliqua ad cooperationem deſpoticè trahit. *Dixi meriti , quoad intrinſecum* : nam ex dignitate operantis extrinſecus meritum ad condignitatem meriti præmij ſupernaturalis eleuari Catholicum dogma eſt : licet eleuationis huius modum verum non omnes Theologi, neque ex eis plures attigerint , vt vidimus controuerſia de Incarnatione, vbi rem ipſam à noſtro Vaſquez attactam illuſtrauimus.

9. His autem excluſis verum Tridentini ſenſum ſubodorati ſunt Vaſquez,& Soarez vt num.6.dicebamus:quatenus iis omnibus ad gratiam auxiliantem , ex qua , tum fides,tum opera reliqua ad iuſtificationem formalem impij præcedentia Concilium eo loci reſpexiſſe variis illis modis iam excluſis aſſeruerunt , atque explicare conati ſunt ; tametſi rem totam non fuerint plene aſſecuti. Reſeruabatur id quidem magno meo magiſtro Dazæ , qui manuſcripto citato de prædeſtinatione d.4.§.1. n.penult. verſ.med. rem ipſam paucis ( vt nobis aliquid relinqueret) explicuit,ſubtiliter aduertens,Concilium,non negaſſe fidei ſupernaturali,& operibus ex Dei gratia profectis, quibus impius ad gratiam formalis iuſtificationis diſponitur , meritum iuſtificationis ipſius , ſed gratiæ , & rationis gratiæ,quæ in ipſa eſt iuſtificatione. Quia primum gratiæ auxilium ad fidem ſupernaturalem, vel motum in Deum , ex quo tota ſeries meritorum de congruo iuſtificationis formalis inchoatur,nequit ſub eiuſmodi fidei,vel motus in Deum meritum cadere , cum ad ea omnia præſtitum ſupponatur : in iuſtificatione vero ipſa eis diſpoſitionibus præuiis obtenta tota ratio gratiæ,& doni gratuiti à Deo à gratuita prorſus illius auxilij gratiæ primi deſumitur,ratione cuius gratia ſolummodo in radice eſt, ſicut gloria quæ ob merita datur , & auxilium ſecundum quod datur in præmium operis ex primo auxilio eliciti. Vnde fit,vt,quæ nequeunt primum auxilium illud gratiæ, quod ſupponunt, promereri, vt de fide,& reliquis,quæ ad impij iuſtificationem interueniunt,probauimus, gratiam, ſeu rationem gratiæ realis formalis, quæ in iuſtificatione eſt nequeant promereri. Hanc eſſe Concilij eo loci mentem conſtat primo ex textu vbi non dicitur : *non meretur iuſtificationem, ſed ipſam iuſtificationis gratiam.* Secundo : quia enumeratis actibus,quæ iuſtificationem præcedunt, meritum congruum ad ipſam contra Auguſtinum ( cuius authoritate ad definitiones de rebus hiſce in primis vtebatur) & totam Catholicam Theologiam non negauit, vt autem negauerit eis meritum ad gratiam, quæ ſolum radicaliter,ſeu in radice in iuſtificatione inuenitur, firmiſſimum in bona Theologia habuit fundamentum , quod produximus. Tertio:quia hac interpretatione ſeries capitum recta conſtat , atque optima definiendi prius veritates anteriores,& ,quæ ipſas conſequuntur, poſteriores poſterius, quin alicuius repetatur definitio. Nam c.5. meritum formalis iuſtificationis prædeſtinationis , & ſalutis quantumvis initiale, remotum , & tenue ex propriis tantum arbitrij creati viribus abiecit contra Pelagium, eiuſque reliquias Semipelagianos, c.6. Catholicas diſpoſitiones ad formalem iuſtificationem ex gratia Dei ortas enumerat : quæ alia, & conſectaria veritas eſt,c.7. has iuſtificationem formalem conſequi definit : quæ eſt veritas diuerſa.& ordine poſterior : quoniam vero in eis diſpoſitionibus meritum congruum ad iuſtificationem recognouit difficultati , quæ inde contra iuſtificationis gratiam emicabat c.7.occurrere voluit, vt titulo capitis explicuit: *Quomodo intelligatur impium per fidem, & gratis iuſtificari,* id autem explicuit ex definitione contra Semipelagianos præmiſſa c.5.non iterum eam contra ipſos ſuperfluo repetens,ſed illa, tanquam firmiſſimo præiacto principio vtens,vt diſcurſu noſtri Dazæ ediſſerui. Pro ipſius principij firmitate rationem Pauli eodem prorſus ſenſu repetens quo capite 5.etiam contra Semipelagianos adduxerat dum principium,quo hic vtebatur, ex inſtituto & directe ſtatuebat.

10. Semipelagianorum fundamenta leniſſima ſunt : & primum de libertatis noſtræ læſione,aut etiam euerſione,ni primam gratiam efficacem ,& prædeſtinationis initium ex propriis viribus, & puro arbitrio mereamur, ex ignorantia efficaciæ gratiæ præuenientis, & infallibilitatis , ac certitudinis prædeſtinationis profectum eſt: æſtimabant enim,tam hi,quam Pelagiani ita hæc eſſe , vti ab Hæreticis prædeſtinatoribus,tunc temporis aſſerebantur, atque teſtimonia aliquot Auguſtini male intellecta ipſis ſonabant : nempe, tam gratiæ efficaciam ad bonum opus quam prædeſtinationem ad finem, ſeu effectum intentum ad quem prædeſtinamur,volentes,nolentes, atque inuitos nos trahere : quod ſane fieret , ſi intrinſeca efficacia , & connexio cum opere,aut effectu foret ; ſecus autem,ſi extrinſecus à futuritione conditionata,tam operis, quam finis intenti ac ſubinde à futurione abſoluta libera ipſorum dependens , vt concordiam vnicam infallibilitatis, certitudinis , & prædeſtinationis cum arbitrij ac operum noſtrorum libertate ſcientiæ mediæ interuentu & beneficio explicantes dicebamus.Addo ea ignorantia in vtriſque ſuppoſita rationabilius Pelagianos, quam Semipelagianos erraſſe. Ratio enim hæc probaret præcedentiam abſolutam gratiæ,ita efficacis,& prædeſtinationis cauſſatiuis operis libertatem euertere : quare , tametſi auxilium primum gratiæ anterioris operis ex propriis viribus eliciti,quo ipſum meremur libertati non obſit, tamen operis primi ex eo auxilio orti , ac cæterorum ſubſequentium vſque ad iuſtificationem , & perſeuerantiam, cui gloria coniungatur euertet libertatem. Secundum fundamentum:quod omnis noſtra ſolicitudo de ſalute tollatur,minus etiã irrationabiliter à Pelagianis aſſumebatur;tametſi irrationabiliter ex eadem ignorantia aſſumatur ab vtriſque. Locus enim ſolicitudini orationi, & induſtriæ noſtræ,relinquitur,vt gratiæ extrinſecus ſolum efficaci cooperemur, cum non cooperari ipſi abſolute pro arbitrio,& libito noſtro abſolute & antecedenter poſſimus : tum etiam vt efficaciæ ſimilis auxilia ad recte operandum deinceps & perſeuerandum à Deo obtineamus , tametſi non ad primum gratiæ auxilium quod à Deo ſine nobis & gratuitum prorſus eſſe debet, nec ſolicitudo, nec induſtria,nec oratio noſtra eſſe debeat,nec poſſit.Tertium fundamentum de vitio acceptationis perſonarum in Deo admittendo in gratiæ eius electione , & collatione vni præ aliis , quin in illo præ his bonum aliquod ex ipſis præcedat, offeraturque ab hiſce : quare , & quod Deus in prædeſtinationis

deſtinationis negotio ex poteſtate dominantis, potius quam ex regentis & gubernantis iure & æquitate ſe gerere videatur: ex ignorantia vitij acceptionis perſonarum,& materiæ, quam eſſentialiter ſupponit,& in qua ſolum verſari poteſt omnino ortum eſt: eiuſmodi enim vitium materiam iuſtitiæ, ſiue commutatiuæ, ſiue diſtributiuæ concernit; cuiuſmodi gratiæ,& beneficij dona minime ſunt, in qua auxilium primum ad bene operandum eſt conſtitutum: quare iure quidem ſupremi ſui dominij in boniſque ſuis beneficiis elargiendis, in prædeſtinatione vtitur Deus, non autem ex poteſtate contra fas, iuſque dominantis.

## QVÆSTIO III.

### *An, quove ſenſu verum ſit proloquium illud*: Facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam?

HÆc propoſitio adeo recepta eſt à Catholicis Theologis, vt aliquo vero ſenſu negari non poſſit: quoniam vero ſenſum Pelagianum, ſi de gratia pro ſingulis occaſionibus,& operibus,& Semipelagianum, ſi de gratia prima auxiliante, & pro opere primo ſupernaturali intelligatur, facile capit, oportet ſenſus eius varios à Theologis datos proponere ſeorſim, & examinare, vt qui minus caute à Catholicis Theologis admiſſi Pelagianiſmum, aut Semipelagianiſmum, vel incurrunt, vel concernunt, à Catholicis deinceps Theologis caueantur, vtque appareat demum Catholicus, ſanæque mentis prorſus, fidei ſenſus, quo ea propoſitio poſſit, debeatque in Theologia Catholica admitti: quamvis autem quæſtio hæc ad controuerſias de gratia ſpectare videatur, æque tamen ad præſentem diſputationem de cauſa prædeſtinationis ſpectat ſicuti de præcedente dicebamus: ſiquidem tantundem eſt hoc diſquirere ex parte noſtri de prima gratia ad opus primum ſupernaturale, qua prædeſtinationis ordo, & diſpoſitio inchoatur, vel de gratiis cunctis, quibus tota eius diſpoſitio,& ordo conſtituitur, atque de cauſa prædeſtinationis totius, vel eius initij diſputare.

---

## CERTAMEN I.

### *De eius proloquij ſenſu Scholaſticorum ex naturæ viribus ſententiæ explorantur.*

1. HVnc ſenſum adeo videtur expreſſiſſe S.Thom. variis, multiſque in locis, vt aliquandiu in eo fuiſſe nec ab eius diſcipulis negetur, vt conſtat ex 2. ſententiarum d.5.q.2.a.1.d.28 q.vn.art.4.corp.ſub med.vbi probat: *Quia, ſicut homo, ſe habet in potentia naturali ad gratiam, ita actus virtutum moralium ſe habent, vt diſpoſitiones naturales ad ipſam: vnde non exigitur lumen gratiæ præcedens*, & inferiuſcule: *Et ideo aliis conſentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare: faciendo enim quod in ſe eſt gratiam à Deo conſequetur*, & ad 3. lumen interius gratiæ ad id non requirit, exemplo conuerſionis Pauli, quæ exterius circumfulgente lumine, non autem interiori facta dicitur: quod extrinſecum lumen,& occaſiones ac incitamenta extrinſeca Dei prouidentia diſpoſita, nec conuertendi arbitrio ſubiecta, tametſi in eius ſalutem ordinata Dei gratiam appellauerat, ſine qua ſe homo ad gratiam internam nequit præparare, & ad 4. per id quod in naturali ratione eſt poſſe, quamvis etiam barbarum ſe præparare ad gratiam habendam à Deo,& fidem, & alias virtutes: quam præparationem, ſi præſtet Deus præſto aderit gratia,& neceſſariis ad ſalutem conſequendam ait de verit.q.14.a.11.ad 1. *Si aliquis nutritus in ſyluis ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime tenendum eſt, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem reuelaret ea quæ ſunt credenda*, vel &c. & ad 2. *Si nos fecerimus, quod in nobis eſt, vt ſcilicet ductum rationis naturalis ſequamur Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis neceſſarium eſt*, quæſt 24 art.1.ad 2. *gratiam, quæ opera meritoria facit, quamvis non poſſit homo ex libero arbitrio acquirere; poteſt tamen ad gratiam habendam ſe præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, ſi faciat quod in ſe eſt*.& art.15.corp. nihil aliud requirit, vt præparemur ad gratiam Dei ſupernaturalem, etiam auxiliantem. præter diuinam prouidentiæ, qua homo (omnis ſcilicet) ad bonum dirigigitur, directionem: quod donum naturale eſſe probat: *Nam in nullo inueniuntur omnes homines conuenire, niſi in aliquo naturali*, & in 4.d.17. q 2. art.1. quæſtiunc. 2. ad 4. *etiam ille, qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, ſi ſecundum ſuam cognitionem peccatum ſibi diſpliceat*. Eandem ſententiam, & ſi cum limitatione, ſic docet in 1.d.41. art.3. ad 1. *dari gratiam homini, quia præparauit ſe* viribus naturæ: *ita vero, vt coniunctio quia denotet diſpoſitionem non cauſam* meritoriam vt corp. negauerat, & vnde ait non tolli ea præparatione diſpoſitiua rationem gratiæ obtentæ, quæ ſolum cum merit. pugnat.& de puero, quantumvis barbaro, cum primum ad vſum rationis peruenerit ait 1.2.q.89. art.6. corpore, *cogitandum occurrere, ac deliberandum de ſeipſo: & ſiquidem ſeipſum ordinauerit ad debitum finem per gratiam conſequetur remiſſionis originalis*. Eandem ſententiam docet in 2.d.42.q.1.a.5.ad 7. & de verit. q.28. art 3. ad 4. recitatus à Capreolo in 2. d.40. q.1. art.3. ad argum. 3. Demum in epiſt. ad Rom. c.10. lect. 3. excuſatos barbaros inuincibiliter fidei ignaros à peccato infidelitatis ait: *ſi feciſſent quod in ſe eſt Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam prouidiſſet, mittendo eis prædicationem, &c.* addit. *Sed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, conuertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt mouente corda ipſorum ad bonum*: quibus etſi motionem gratiæ internæ videatur admittere ad faciendum quod in ſe eſt præuiam, aſt, iuxta ſuperius recitata, nil aliud intelligit, quam motionem per extrinſeca motiua & incitamenta,& per innatam,& naturalem inclinationem ad bonum omnibus communem, ac ſubinde naturalem.

2. Produximus fuſius S. Thom. teſtimonia in quibus aperta pro ſenſu eius proloquij præfixo in certaminis titulo ſententia eſt, cum vt conſtet eum in eo aliquandiu nec ſemel extitiſſe, vt eius diſcipuli & interpretes fatentur, tum aliquando dum ita cenſebat doctrinæ ſuæ difficultatem ſenſiſſe, voluiſſeque componere doctrina illa de diſpoſitione præuia per naturæ vires, non autem merito præuio ad gratiam vt vidimus teſtimon. recit. ex 1. d.4.art.3.ad 1, idcirco retractaſſe ſententiam 1.2.q.109. art.6.toto præſertim ad 2. & q.112.art.3.corp. & ad 1. & art.2. corp.& ad 1. vbi de faciente quod ex ſe eſt ex viribus gratiæ ſupernaturalis proloquium intelligit, nullamque eſſe poſſe præparationem ad illam ex viribus naturæ: & 2.2.q.10.art.4.fine. Euertit fundamentum, quod de puero barbaro in ſyluis enutrito & de centurione pro oppoſito attulerat dicens: Centurionem non, niſi fide ſupernaturali ac operibus ex illa, Petri ad ipſum miſſionem promeruiſſe, ac 3. cont. gent. cap 159. quod gratiæ impedire poſſit ſolummodo arbitrio concedit: ſic proinde de S. Thom. cenſent Capreol. in 2. d. 28. ſub fin. & Durand. ibi q.5. num.5. inconſtantiam opponens Deza d.19.art.1.fin.Caiet.1.2.q 109.art.6.§ *nec obſta*. Qui alias priorum locorum explicationes verſus articuli finem aggreditur. Soto 2. de natura, & gratia c.3.& alij, quibus ſubſcribit Ruiz noſter d.21.ſect.2. num.14. & quidem S. Thom. ea in re varius ex modeſtia potius, quam leuitate fuit. Nam communi Theologorum ætatis illius in primo conceſſit, potius quam ex ſeipſo ſenſit vt conſtat ex teſtimonio primo recitato illis verbis: *& ideo aliis*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*conſentiendo dicimus*, in ſecundo vero ſenſu ex firmiſſimis Theologiæ principiis humanæ authoritati ſcripturam, fidemque præferendo diſcurrens propriam, veramque ſententiam dixit. Nec mirum: ſiquidem eius Magiſter Albert. in 2. d.28. art.1. ad 4. & 2.p. q.18. ſub fin. & Angelos gratiam operibus è ſola arbitrij facultate congruè fuiſſe promeritos, & in nobis eſſe factum quo poteſtatem ex gratia, & infallibiliter adquiramus: quia Deus omnibus æque gratiam offert, nos autem ſecus: *Sed ſi conuertimur faciendo quod in nobis eſt, ſtatim accipimus.* Ita 2.p.q.18. citata, q.vero 100. m.1. quaſi ea retractans ait: *Profanum eſt dicere, niſi quod gratia ſemper præuenit voluntatem, & erigit eam, vt velit bonum.* Similiter Alexand. Aienſ. 1.p.q.28. membr.3. art.1. ad 1. & q.129. m.8. §.1. de puero myſteriorum fidei ignaro, qui faciat, quod ipſe eſt ex naturali cognitione, & inuocatione Dei acquiſiturum à Deo poteſtatem ex gratia ad illa credenda, ſiue per internam inſpirationem, ſiue per Angelum, aut hominem à Deo ad eius inſtructionem miſſo, & 3.p.q.69. m.5. art.2. §.1. corp. & ad 1. eundem proloquij ſenſum docet; tametſi non ex merito congruo ſed interpretatiuo & art.3. corpor. reddit rationem æque oblationis gratiæ ſuæ omnibus, quam dedit Albertus proxime, dederantque olim Maſſilienſes explicatius idem tradit ad 6. & m.3. art.3. ſub finem addens, *præuenit tamen illa actio gratiam vt diſponens ad ipſam* vtique, vt meriti ab illa congruitatem etiam excludat, ſicuti proxime ex membro 5. referebamus. Ex quibus conſtat quid intelligat gratiæ nomine eadem q.69. m.1. art.2. corp. dicens: *nullos eſſe conatus liberi arbitrij ad bonum, niſi excitentur à gratia*, naturalem quippe cognitionem Dei intelligit gratiam appellat & infra citatis pròxime locis explicuit, eodem ſenſu videtur noſtro Ruiz prædictum proloquium accepiſſe S. Bonauentura, qui tamen in 2. d.26. q.vlt. & d.28. art.1. ad 4. & art.2. q.1. corp. ad 3. & 4. & in 4. d.15. p.1. art.1. q.5. corp. neceſſitatem gratiæ præuenientis omnino, vt ad gratiam formaliter iuſtificantem præparemur, aſſerit conſtanter: quia citata d.28. art.2. q.1. ait: gratiam naturalibus arbitrij additam eſſe habitum timoris ſeruilis, vel innatam viſceribus ab infantia pietatem vel Dei vocationem, & locutionem excitantem ad eiuſmodi præparationem quam in operibus moraliter honeſtis conſtituit. Sed certe cum expreſſe ea quæſt. & ait: locis omnino præuenientis gratiæ neceſſitatem conſtanter doceat: leuiſſime eis coniecturis ad oppoſitum inducitur. Nam ea, quæ ibi recenſet gratiam à ſe prærequiſitam non aſſerit eſſe, ſed ab eo præſcindit, nec diſputat adhuc: ait ſiquidem. *Quidquid illud ſit quod ſuper additum eſt naturalibus adiuuans aliquo modo*, &c. Actus vero moraliter abſolute honeſtos ex gratia Dei ſpeciali per Chriſtum neceſſario fore cum Patribus Bonauentura & Scholaſticis aliis, ac præſertim noſtro Vaſquez, qui ſtrenuè, ad victoriam vſque, pro eo certauit oſtendemus tom.1. de ente ſupernatur. controu. de grat. auxiliante diſputatione de eius neceſſitate: quare ſanctus Bonauentura ab eo proloquij ſenſu abfuit quam longiſſimè.

3. Guillelm. Pariſienſ. 1.p. tract. de merit. col.4. Angelos ſanctos & primos Parentes in ſtatu innocentiæ ex ſolis viribus naturæ aliquid in ordine ad gratiam ſupernaturalem & certo obtinendam promereri potuiſſe. Alter Guillelm. Altiſiodorenſ. lib.3. tract.2. quæſt.5. *Et qui facit quidquid in ſe eſt ſemper dat gratiam, aliter non reciperet confugientes ad ſe*, & ſtare ad oſtium vt pulſanti, & facienti quod in ſe eſt, & aperienti gratiam præbeat. Dixit autem lib.2. tract.11. c.1. q.4. *Si gratia large ſumatur pro omni gratis dato à Deo, bene concedimus, quod liberum arbitrium non poſſit in opere de genere bonorum ſine gratia*: illo vero ſi large accipiatur. Satis prodit ſe non loqui de gratia abſolutè ſupernaturali, & per Chriſtum vbi negat. *Poſſe nos ſine gratia gratis data aliquod bonum operari.* S. Antonin. 1.p. tit.4. c.2. fine concedit viribus arbitrij præparationem, etſi non meritum ad gratiam. & tit.13. c 2. & 3. conferendam puero etiam iuſtificantem peruenienti ad vſum rationis ſi ſe ad debitum finem pro capacitate vſus rationis ætatis illius ſe ordinet, videtur autem p.4. tit.9. c.5. § 4. neceſſitatem præuenientis omnino gratiæ ad iuſtificationem, & ſalutem recognoſcite, & proloquium præſens de facienti quod in ſe eſt, *in quantum eſt motus à Deo*, explicat. Theophil. Rayner. conſenſit 1. ſenſus ex S.Thom, teſtimoniis datis q.24. de verit. & in 2.d.28. & Alex. in Pantheologia verbo *prædeſtinatio* c 2. circa med. vbi meritum de congruo concedit verb. *ſpes*, c.3. med. v. *gratia* c.3. verb. *liberum arbitrium*, c.4. & 10. poſt med. verbo *liberatio à peccato*, c.23. tametſi c.24. dicat, in præparatione ad gratiam noſtram voluntatem eſſe gratiæ *pediſſequam*, & med. *præparare ad gratiam eſſe Dei principaliter operantis, & mouentis liberum arbitrium & pulſantis ad oſtium.* Arbitrij vero conſentientis cooperantis, & aperientis. Ægyd. Rom. pro primo proloquij ſenſu immerito refertur ex 2. d.28. q.1. art.1. fin. vbi ait. *Faciendo quod in nobis eſt, etſi non ex condigno, tamen ex congruo Dominus dabit nobis gratiam*: tamen cum articulo 3. corp. poſt. med. ni præcedente diuina vocatione, & bonis cogitationibus à Deo immiſſis, liberum arbitrium ad gratiam ſufficienter moueri poſſe neget, & idem explicatius doceat art.4. dub. lateral. ſub init. conſtat non loqui eum de præparatione ad gratiam auxiliantem ex viribus naturæ, ſed ad iuſtificantem & ex viribus auxiliantis gratiæ Dei. Paludanus etiam immerito in primum illum ſenſum ex viribus naturæ trahitur ex 4. ſentent, d.14. q.2. quod attritionem ſolum virtutem moralem pœnitentiæ vndique honeſtam ſufficientem præparationem ad gratiam iuſtificantem reputet: oporteret enim, vt illam ex viribus ſolis naturæ eſſe doceret, quod non docet. Capreolus etiam non æquius citatur ex 2.d.29. art. vlt. col. penult. quod S.Th. teſtimonium referat ex 2.d.28. art.4. dicens: ad præparationem gratiæ iuſtificantis prærequiri gratiam gratis datam diuina prouidentia, nec differre quid illud ſit, ſiue excitatio voluntatis à Deo ſiue occaſio ægritudinis, vel quid huiuſmodi: ſolum enim probat Capreolum ibi nec definire, nec diſputare voluiſſe quid gratia illa neceſſario præueniens ſit: & quamvis in 2. d.40. art.3. verſ. finem videatur ſequi ſententiam Sanct. Thomæ de puero perueniente ad vſum rationis, non explicat an ordinatio illius in bonum, ac debitum finem, qua fidei, & iuſtitiæ gratiam præparetur ex ſolis viribus naturalis rationis ſit, an ex gratia ad eam ordinationem, & motum in bonum præueniente: ſed tamen cum in 2.d.28. art.1. concl.5. contract. S. Thom. pro gratiæ præuenientis neceſſitate ad quamvis præparationem ad vlteriorem gratiam conſentiat expreſſe, & diſtinct.29. art.1. concluſ.4. med. præter general. Dei influentiam, & debitum naturæ auxilium gratiæ ſpecialis & indebitæ ad bonum abſolute tale quodvis requirat ſicuti, & ſine diſtinctionis, vbi nullum teſtimonium S. Thom. pro oppoſito ſenſu admittit, non ſine gratia præueniente exemplum illud & proloquium facienti quod in ſe eſt admittere cenſendus omninò eſt.

4. Aliunde, tam Capreolus, quam Deza in 1.d.18. in ſenſum ex viribus naturæ adducuntur à nonnullis: tum, quia hic art 1. concl.2. ille q.vn; art.3. ad 15. cum Gregor. Arimin. de neceſſ. motionis, & gratiæ ſpecialis Dei ad quodvis ſimpliciter, atque omni ex parte honeſtum morale requirant: quo, ſolo nomine gratiam videntur requirere: ſed, vt diximus, valde de re, & veritate gratiam requirunt. Tum etiam, quia Capreolus ſub eius diſtinctionis finem, & Deza concl.4. ad 1. Durandi contra illam ex ſimili naturalis diſpoſitionis ad inductionem formæ à naturali agente, reſpondent: probare propriam, & vltimam diſpoſitionem ad gratiam eſſe à Deo, non autem à facultate arbitrij: quare remotam diſpoſitionem eius facultati taciti tribuunt, & Deza, cum ea concluſione docet, hominem abſque ſpeciali gratiæ Dei auxilio ſufficienter ſe præparare non poſſe: inſufficienter poſſe videtur admittere: ſed male ex eo, quod vnum negent, alterum ipſos admittere arguitur: Caietanus plane ſenſum de ſolis viribus naturæ admittit 1.2. q.89. art.6. toto maxime §. *Ad euidentiam*, & q.109. §. *Nec obſtat*: aſſerens hominem non ſe diſponere, ac præparare ſimpliciter ad gratiam, ſed ſolum ſecundum quid ex parte ſua & tom.1. opuſc. tract.4. q.1. de contrit. præſertim §. *ex quibus* collato cum fine corporis docet attritionem naturalem intrinſece immutatam fieri diſpoſitionem ad gratiam extrinſecus per gratuitam *Dei motionem & dilectionem qua dignatur vti noſtra adquiſita contritione vt diſpoſitione vltima ad ſuum proprium opus quod* eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*eſt charitas, quæ infunditur.* Vnde aliqui Caietano ex-cuſationem prætendunt, pro S.Thom. Scoto, Gabriel. Durand. examinandam cert.2. Coniad 1.3.q.89.art.6. caſum motus in bonum, & rectæ ordinationis in finem pueri in ſyluis enutriti poſſibilem admittit, eique, illa poſita, de neceſſariis ad fidem, & ſalutem prouidendum; ſed neceſſitatem gratiæ præuenientis ad eam ordinationem, & motum non excludit quam ad omnem diſpoſitionem hominis ad gratiam conſtanter docet q.109.art.6. & q.112. toto articulo 2. & 3. Conradus alter de contractibus tract.7. q.100. concl.2. med. & argum 4. ſub init. & fin. docet facienti, quod in ſe eſt non ſolum ex gratia ſed ex viribus ſolis naturæ neceſſariam notitiam ad ſalutem eſſe concedendam. Ferrara, me iudice, Catholicum ſenſum de faciente, quod in ſe eſt, ex viribus non ſolius arbitrij ſed gratiæ præuenientis ſimul conſtanter, & liquido retinet 3. contr. gent. c.149. & c.159. quamvis hic videatur nonnullis concedere diſpoſitionem negatiuam ex viribus naturæ per quas non apponatur impedimentum peccando. Sed certe illud per vires naturæ ad peccati impedimentum refert non ad eius ablationem: ait ſiquidem Deum ex ſe præſentem eſſe gratia ſua non ſolum in actu primo, ſed in actu ſecundo, *pulſando & mouendo*: quare qui ex facultate arbitrij impedimentum ponunt peccati, & Dei pulſatione & motione in eius ſententia non peccando impedimentum ad gratiam, & ſalutem auferrent. Magiſter Victoria immerito etiam pro ſenſu facientis, quod in ſe eſt ex viribus ſolis naturæ veniſſe refertur à nonnullis ex relect. vlt. de præuenientibus ad vſum ration. p.3. poſt propoſit.3. num.14. quod doctrinam S.Thom. de puero in ſyluis nutrito, & gratiam iuſtificationem ſtatim obtenturo, ſi bonum appetat, & malum auerſetur referat nec impugnet, non enim ait eam conuerſionem ad bonum, atque fugam à malo ex viribus ſolis naturæ fore, ſed ad eam ſequuturam pueri iuſtificationem, vt ait S. Thom. vndecunque illa prouenerit, de quo non diſputat. Refertur etiam Can. relection. de pœnitentia p.5. longe à med. §. *Tertio etiam attritio*, quod doceat, *attritionem ortam ab amore naturali Dei ſuper omnia fors eſſe diſpoſitionem idoneam, vt virtute baptiſmatis & pœnitentia gratia conferatur.* Verum, etſi his Canus à vero aberret, quod amorem Dei ſuper omnia naturalem admittat, ad præſens autem non errat: nam diſpoſitiones ad iuſtificationem in ſacramento percipiendam ex Dei arbitrattu, & abſque vlla de ſe proportione, adhuc remotiſſima, tales ſunt, vt conſtat in ablutione ad Baptiſmum, & aliis multis. Melius pro eo ſenſu adducitur ex relect. de Sacram. in genere p.2. vbi, licet verſus med. de init. iuſticationis non, niſi ex gratia Dei, recte loquatur temen inter princip. & med. §. *Ad primum vero*, & clarius inter med. & finem, §. *Igitur illa opinio*, & vniuerſim, facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, tam in lege naturæ, quam gratiæ auxilia gratiæ ad iuſtificationem à Deo collata conferendaque eſſe fatetur, & puero etiam in ſyluis enutrito.

5. Dominicus Soto in eodem ſenſu axioma illud, *faciendi quod in ſe eſt*, accepiſſe refertur ex 4. d.18. q.3. art.3. & Cano deterius: quia attritionem prorſus naturalem ex metu amiſſionis temporalium eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem in ſacramento obtinendam: in quo, etſi aliunde peccet, non tamen in præſente quæſtione, vt in Cano dicebamus nuper. Aberrauit tamen in illa 2. de natura & grat. c 3. ſub init. vbi opus moraliter bonum ex viribus ſolum naturalibus aſſerit eſſe diſpoſitionem impropriam, ſaltem ſufficientem, & remotiſſimam ad iuſtificationem extra ſacramentum; imò, & *viam de ſe ſternere ad charitatem.* Quibus *improprietatem* eius à ſe dictam pro inſufficientia, & improximitate non toto improprietatis rigore oſtendit: nam, quod de ſe tale ad aliquid eſt, ac ſe habet rigide improprium non eſt, ſubdit: *præſertim, ſi in huiuſmodi ſe operibus peccator exerceat intentione flectendi Deum, qui durum ſibi cor emolliat ad pœnitentiam, quem nimirum finem ſicuti, & honeſtos alios poteſt ſibi naturaliter præſtituere*, & ſolutione ad 1. ait, *hominem ex naturalibus habere deteſtationem quæ ſit remotiſſima diſpoſitio ad gratiam*: & lib.1. c 21. col 1. idem de omni opere moraliter bono ex naturalibus ſolum habito docuerat & c.21. ſub init. & lib.2. c.12. fine: quare etſi axioma de faciente quod in ſe eſt ex Dei præuentione illiuſque cooperatione catholicè interpretetur c. illo 3. circa fin. in frequentem ſibi oppoſitum ſenſum c.12. relabitur & in cap.1. ad Rom. ad illa verba, *ita vt ſint inexcuſabiles*, & in 4. d.1. q.2. art.3. circa med. ante argumentum 2. S.Thom. Ioan. VVigierius Dominicanus etiam in eodem ſenſu proloquij ex viribus naturæ fuit c. 18. inſtit. §.4. init. vbi hæc. *Præparatio ad gratiam fit per ſpeciale auxilium Dei quod ſemper eſt paratum homini facienti quod in ſe eſt.* Loquitur autem de præparatione proxima, & auxilio parato ad illam in actu primo nondum tamen præſtito, vt *quantum in ſe eſt faciat*, vt continuo explicuit. *Dicitur autem facere, quod in ſe eſt, quando ceſſat à peccato, & anhelat ad bonum rationis*, id eſt rationis naturalis dictamini, & virtuti confoime, & proportionatum, vt clarius explicat inferiuſcule dicens: *Cum concurſu generali mediante ſynderesi, & aſſiſtente fide poſſumus aliquomodo conari ad bonum, licet non poſſimus perficere*, ac infra: *ſit conati Deus ſua proclamata miſericordia adeſt & conuertitur ad eum ſuo auxilio ſpeciali, quod dicitur gratia præueniens.* Delphinus 4. de libero arbitrio circa med. ſub tit. *quanta ſit nunc poteſtas arbitrij & quid ſit hominem facere quod in ſe eſt?* Cenſetur ſenſui ex viribus arbitrij conſenſiſſe concl.1. pag.161. quod S. Thom. doctrinam de puero in ſyluis educato in fide, & neceſſariis ad iuſtitiam & ſalutem ex Dei gratia inſtruendo, ſi ſe recte ordinet ad bonum approbet, & lib.5. de iuſtificat. poſt med. in q. *Poſſintne, qui Euangelij prædicationem*; verbis Alexand. datis, & dandis Gabriëlis confirmet: ſed cum vtrobique inferius, & maxime in poſtremo ſæpe, præſertim pag.193. & 205. aſſerat nullam præparationem ad gratiam, niſi ex auxilio gratiæ eſſe poſſe eis Doctoribus in infallibilitate auxilij neceſſarij ad fidem, & ſalutem conſequendi ab illo, qui ſe ita præparauerit, conſentit; ſecus vero in eo, quod præparatio illa è ſola facultate naturæ ſit. Eius etiam ſenſus ſuſpicio amouenda eſt à Bartholomæo Medina 1.2. cum, vbi magis videtur inclinare, vt q.89. art.6 ad 2. arg. Capreoli, & q.109. art 6. ad 2. & 3. valde in ſenſum bonum explicabilis loquatur. Tum etiam: quia q.76. art.2. ad vlt. arg. expreſſe ait. *Deus dat vniuerſis hominibus ſufficiens auxilium, vt recte, & ſtudioſè vitam inſtituant: quod ſi facerent ſine dubio illuminarentur*, & q.109. art.10. poſt ſolutionem 4. rationis obiectianis cuidam reſpondens addit ad hunc fin. *Præberi à Deo omnibus hominibus diuinarum inſpirationum viciſſitudines.* Etſi autem finis ille virtutis moralis ab ipſo dicatur, ac proinde qui ad virtutes morales gratiam Dei per Chriſtum (quam entitatiue & ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalem putantes ſe debere) non requirunt, cum in malum ſenſum interpretentur, ipſe tamen melius cenſet gratiam ſpecialem, & quoad modum (quod ſatis eſt) ſupernaturalem ad virtutis moralis cuiuſvis actum requirit, atque expreſſe præparationem per illos quamvis, ad fidem, iuſtitiam, & ſalutem antecedere, ac præuenire profitetur: quo in præſenti peccare nequit; tametſi in principio illo non melius ipſis, ſed deterius opinaretur.

6. In eodem ſenſu de viribus ſolum naturæ fuiſſe arguitur. Magiſter Bañez 2.2 q.10. art.1. med. reſponſ. ad 4. quod dixerit: qui nitatur, quantum in ſe eſt, & proponat toto vitæ tempore ſecundum rectam rationem agere, pie credendum eſſe illuminandum illum, & iuſtificandum per gratiam, ſed cum 1.p.q 23. art.3. dub.3. dixerit expreſſe de præparante ſe ad fidem, & iuſtitiam certo conſequendam per conuerſionem ad bonum, & fugam à malo cum ad vſum rationis peruenerit, verum ſolummodo eſſe poſſe, ſi ea præparatio ex gratia præueniente Dei eſſe aſſeratur, non citra eius iniuriam de eo ita cenſetur: quamvis auxilium illud præueniens, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis per immiſſam à Deo inclinationem in bonum ex naturali rationis lumine cognitum eſſe poſſe dicat, in quo de entitate phyſica gratiæ præuenientis decipi, vt ſummum poteſt; non autem circa præuentionis eius neceſſitatem. Argentina etſi in 1. d.7. art.3. poſt med. dicat facienti, quod in ſe eſt nunquam defuturam à Deo fidei ſuæ manifeſtationem, & infuſionem gratiæ Spiritus Sancti, ac Deum, vt ita ille faciat, & ad eum eiuſque gratiam redeat, prius admonere per gratiam præuenientem, & ſpirituales impetus loquitur

tamen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tamen de proxima diſpoſitione,& præparatione ad fidem; ſiquidem diſt.41.q.vn.art 2.§.*Reſpondeo quod Auguſtinus*, & ad 2. & 3. rationem docet opera virtutum moralium ex ſola arbitrij facultate, & generali influentia eſſe abſq; gratia præueniente poſſe, & eſſe etiam cum de congruo merito, nec abuſiue gratiæ, & prædeſtinationis, quod de merito & præparatione remota ſaltem nec à Deo proxima debet intelligi. Hoc ipſum de merito congruo gratiæ ad auxilia gratiæ vlterioris ad actus ſupernaturales atque ad prædeſtinationem & gratiam aſſeruit Chryſoſtomus Iauellus in operibus moralibus ex pura arbitrij facultate elicitis comment.de prædeſtin.ad q.23. 1.p.c.5. vt ex toto contextu conſtat: tametſi ſpeciale Dei auxilium ad ea opera vocet: illud ſiquidem naturale debitumque naturæ eſſe declarat. Nauarrete 1.p.q.19.art.8.controu.23.pag.457. ait, *licet, quando viribus naturæ facit homo totum quod in ſe eſt non ſe diſponat ad gratiam, quæ ex natura ſua, & neceſſario exigat gratiam, ſed ſolum pie credendum ſit, quod Deus non denegabit gratiam, ſeu auxilium ſupernaturale; tamen aliquo modo dicitur præparatio illa diſpoſitio.* Didacus Aluarez 7. de auxiliis d. 56. & 57 doctè, & catholicè pro neceſſitate gratiæ præuenientis ad initium iuſtificationis, quantumvis remotum, ac ſubinde prædeſtinationis decertat: trahere tamen illum (vt alias) in ſenſum de faciente, quod in ſe eſt, è ſola naturali arbitrij facultate contendit Ruiz noſter d.21.ſect.6.à n.33. quod doceat opera entitatiuè naturalia ex obiecto virtutum moralium, ac ſubinde neque auxilium gratiæ ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, requirentia, ſufficere ad iuſtificationis exordium: quaſi inde negandum ſit ex gratia Dei per Chriſtum ſupernaturali, quoad modum, debere procedere: inſuper quia d. 77. concluſ.2.aſſerat induſtriam miniſtrorum Eccleſiæ exhortando, prædicando, &c. eſſe cauſam regulariter, & ſine qua non, tametſi non principalem, interioris vocationis, & inde ſubortæ conuerſionis, quæ tamen induſtriæ nequeunt de ſe ſupernaturale aliquid in vocato, & conuertendo producere, qua etiam de cauſa S.Thom.1.2.q 112. in neceſſitate gratiæ præuenientis præparationem ad fidem, & gratiam iuſtificantem iam aſſerta, non ſatis firmum ſtetiſſe, & alios Doctores iudicauit. Quaſi Deus qui agens principale internæ vocationis ab eis aſſeritur naturali cauſæ cooperans ſupernaturale aliquid ſua vtens abſoluta potentia, nequeat in eius conſortio producere: maxime ſupernaturale, quoad modum, quod eſſet ad rem præſentem ſatis.

7. Dominicanis hiſce continuato recitatis, qui ex recentiore ipſorum ſchola eſſe conſtanter voluit, de eius proloquij ſenſu examinandus eſt Mercenarius Zumel in 1.2.q.89.art.6.d.2.p.2. dicto 4. maxime §. *ſed obſeruanda valde* & d.3. p.2. confirmatione primæ concluſionis d.4. præſertim d.4.conuerſioni per lumen naturalis ſolum rationis, ex quo puer ſtatuat ſecundum rectam rationem viuere, & malum fugere ſtatim eum eſſe à Deo illuſtrandum, & mouendum efficaciter ad omnia, quibus infallibiliter iuſtitiam conſequatur, & quamvis hoc limitet q.113. art.4. ad 2. poſt maiorem explicationem concluſionis 4. & 5. dicens, cuivis ad vſum rationis peruenienti Dei auxilium ex parte intellectus, & voluntatis adeſſe, vt ita bene moraliter conuertatur, ac ponat iuſtificationis initium; ait tamen eundem illum actum conuerſionis in adulto abſque eo auxilio Dei, ac puris naturalibus poni abſolute poſſe: quare & poſſe abſolute poni iuſtificationis initium, conſequens in eius doctrina eſt, vbi etiam ſententiam illam primam voluit temperare, quæſt.item 109.a.6. q.vn.poſt concl.4.§.*hæc aſſertio*, vbi infallibilitatem conſecutionis neceſſariorum ad iuſtificationem ex conuerſione facientis, quod in ſe eſt, aſſertam retractat in ſenſum facientis quod in ſe eſt ex viribus ſolis naturæ expreſſe relabitur ſcribens: *Quamvis ex operibus miſericordiæ ceſſatione à peccato eiuſque imperfecta deteſtatione & ex aliis bonis operibus viribus naturæ præcisè factis inuitetur diuina miſericordia, vt conferat auxilia pro conuerſione ex mera gratia, & mera liberalitate, non tamen eſſe id ex lege vniuerſali & infallibili Dei.* Nec longe ante concluſ.5. *eiuſmodi opera eſſe ait impetratoria & per modum impetrationis inuitando diuinam miſericordiam impetrare auxilia.* Verum quidem eſt hunc Doctorem, tam ante, quam poſt recitata neceſſitatem gratiæ omnino præuenientis diſpoſitionem, præparationem, & impetrationem omnem ad iuſtificationem, atque ipſius initium aſſerere: quare nihil de eius conſtante ſententia, ac mente deprehendi præter contradictionem poteſt: vt plerumque euenit iis qui non tam ex conceptis, ſtatutiſque ſibi principiis ſcribunt, ſed ex librorum in quos incidunt lectione & ſententiis tranſcribunt: ex ſcholis & familiis aliis aliquorum mentem examinauimus n.2.vt Alexand. Alenſ. & Bonau. ex Franciſcanorum familia. Sed iam ex Scotica & Nominalium, plerumque Franciſcanorum, aliorumque ſcholis ſuper hoc proloquio Doctorum ſenſæ aperiendæ ſunt. Sed prius referendus eſt Henricus quodlib.4. prius q.19. poſt med.ſcribens: primam gratiam non habere cauſam meritoriam, *niſi congrue; non propter quam, ſed ſine qua non, confertur vni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur cum apud Deum non ſit perſonarum acceptio.* Nota Maſſilienſium rationem, ac nomine gratiæ gratum facientis non formaliter ſed motiue, & auxiliariter intelligere quodlib.5. q.20.poſt med.negat peccatorem poſſe diu ſtare in deteſtatione peccatorum, & alios actus bonos morales ad quos *facultate, & viribus naturæ poteſt, quin Deus moueat liberum eius arbitrium aliquo motu gratiæ gratis datæ, vt bono ſimpliciter aſſentiat*; ſub infra. *Ad talem autem ſtatum diuturnitatis in bono moraliter, quilibet poteſt venire faciendo quod in ſe eſt* (per vires vt explicuerat naturæ) *Et in hoc, quantum eſt ex libertate arbitrij poteſt alium præuenire, vel ſimul cum ipſo accedere*: ad gratiam auxiliantem, ad conſenſum ſimpliciter, & perfecte in bonum.

8. Scotus in 4.d.41.q.2.art.2. verſ.5.ſeu § *Ad bonum intellectum* docet peccatorem quemvis, etiam infidelem, ex naturalibus poſſe cognoſcere peccatum, vt offenſiuum Dei, præmij impeditiuum, & inductiuum ſupplicij, & obinde ipſum deteſtari deteſtatione vndequaque totaliter abſolute, & ſimpliciter honeſta; ſubditque. *Iſte modus dicitur eſſe attritio, & eſt diſpoſitio ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis*: & concludit. *Aliter eſſe difficile ſaluari, quod apud Deum non ſit acceptio perſonarum*, vt Maſſilienſes aiebant; & in 2. d.28. q.vn. prope ſolut. argumentor. agens de præcepto dilectionis Dei ſuper omnia ait. *Quandoque voluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblata, vel reſiſtet, & peccabit mortaliter, vel conſentiet, & iuſtificabitur.* Vbi de voluntate ſola, ac ſine gratiæ auxilio loquitur, & gratiam gratificantem non formaliter gratificantem, ſed auxiliantem ad actum ſupernaturalis dilectionis Dei ſuper omnia, quæ vltima diſpoſitio ad formalem iuſtificationem, eique connexa eſt, intelligit: ſiquidem auxilianti ſolum gratiæ reſiſtentia, vel conſenſus voluntatis dari poteſt; non autem gratiæ formaliter iuſtificanti & gratificanti, quæ nihil motionis, vocationiſque habet, vt vel conſentiatur, vel reſiſtatur: ſed ipſe clarius oſtendit loqui ſe de voluntate nuda Deum ſuper omnia diligente. Nam de hac dilectione Dei ſuper omnia agens in 3. d.27. q.vn. art.3. ex inſtituto probat liberum arbitrium per ſolas vires naturæ poſſe eam elicere. De Ocamo Nominalium Principe nihil eſt firmum, vt eum ex viribus naturæ axioma intellexiſſe iudicemus, adhuc in 1. d.41.q.vn in primæ ſentent. impugnatione: in eum vero ſenſum venit apertus & frequentiſſimus inſignis eius diſcipulus Gabriel in 1.d.41.art 3.dub.1. docet vſum ſectum, ſcilicet liberi arbitrij, eſſe diſpoſitionem de congruo ad media prædeſtinationis, quo deficiente, gratia non infunderetur in 2. d.22.q.2. art.3. facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ dandum eſſe gratiam d.27.q.vn. art.2. concl.4. etiam infidelem per naturæ vires conuerſum ad Deum, gratiam de congruo mereri dub.4. facienti, quod in ſe eſt per naturæ vires de lege gratiam conferri in 3.d.27.q.vn.art.3.dub.2 propoſit.1 ſtatuit dilectionem Dei ſuper omnia ex arbitrij naturalibus viribus haberi poſſe, & propoſit.2. *Prædictum amorem amicitiæ de potentia ordinaria non poſſe ſtare ſine gratia: quia ſecundum legem ordinariam cuilibet facienti, quod in ſe eſt, & per hoc diſpoſitio ad gratiæ ſuſceptionem Deus infundit gratiam*: intelligit autem diſponi vltimo per eum amorem, & ad gratiam formaliter iuſtificantem. Ne vero de hoc dubitaretur, fere ſtatim ſubdit: *Hunc amorem*

quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quia eſt actus perfectiſſimus omnium actuum ex naturalibus haberi poſſibilium, eſſe immediatam, & vltimam diſpoſitionem ad gratiæ infuſionem.* Maior in 2. diſtinct.28. quæſtione 1. colum.12. ad argumentum 17. §. *Ad formam*, ait, *ſi adultus mediocriter vtatur naturalibus, licet interdum non habeat auxilium ſpeciale, datur ei alio tempore: dummodo bene vtitur naturalibus*: ſubinferius: *ſi bene vtatur naturalibus illi datur præuenire ſupernaturalia*, & columna ſequente de Magdalena, & Paulo agens, *qui optime vſi ſunt quatenus Deus eis aſſiſteret*, tametſi id non de lege fieri dicat, cum aſſerat alios æque bene vſos fuiſſe relictos. Marſilius eiuſdem ſenſus arguitur, quia in 2.d.28. articulo 3. fine dixit. *Hominem Dei auxilio præuentum poſſe ex puris naturalibus mereri primam gratiam de congruo.* Si autem ea, quam meretur prima gratia eſt, auxilium, quo ad illam promerendam præuenitur à Deo, gratia in eius ſententia abſolute non eſt: ſed tamen docte Marſilius duplex gratiæ indebitæ naturæ, & ſupernaturalis proprie, & abſolute talis genus diſtinguit: alterum quoad modum ſolum ſupernaturalis, & hanc ad opera virtutum moralium requirit, atque ſpeciale proinde auxilium Dei vltra generalem influentiam (in qua omnia Dei auxilia naturæ vndecunque debita claudit) atque ſine ſpecialis eius auxilij præuentione: quare, & ſine gratia Dei nihil arbitrium noſtrum boni agere poſſe Catholice & conſtantiſſime ſtatuit eo articulo concluſione 3. & 4. & poſt articulum 4. ad ſeptimum argumentum. Alterum vero genus eſt gratiæ ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & hanc ſub meritum congruum operis boni ex ſpeciali auxilio illo gratiæ, quoad modum ſolum ſupernaturalis, Catholice etiam docet.

9. Eadem de cauſa de eodem accuſatur ſenſu Gregorius Arimin. floridum, etſi vetus, ſcholarum delicium in 2. d.28. articulo 1. vbi ait, initium quodvis etiam remotiſſimum iuſtificationis, niſi ex gratia eſſe non poſſe, quia abſque eius præuentione nihil, in genere moris adhuc, bonum abſolute tale immo nihil non malum abſolute agere poſſimus. Ex quo doctrinam recitatus proxime deſumpſit, ſed male inde vterque in ſenſum ex viribus ſolis naturæ trahitur, vt in ſimili ſupra alios excuſantes oſtendebamus. Richardus pro eo ſenſu merito recitatur, quia in 1. d. 28. articulo primo, quæſtione ſecunda ait. *Loquendo de remota, & indirecta diſpoſitione liberum arbitrium per ſua naturalia cum ſola generali motione primi momenti poteſt ſe ad gratiam gratum facientem diſponere.* Quibus conſequenter d.41. articulo ſecundo, quæſtione ſecunda poſſibilius cenſet dari diſpoſitionem remotam & meritum congruum è puris naturalibus ad prædeſtinationem expreſſe. In eundem conſenſit ſenſum Ioannes Bachon Carmelita in 1.d.41. quæſtione vnica circa fin. meritum congruum prædeſtinationis arbitrio è ſola generali Dei influentia concedens Durandus in 2. d.28. quæſt. 5. ex profeſſo tuetur viribus ſolis naturæ abſque ſpeciali adiutorio motioneque Dei nos diſponi poſſe ad gratiam, vtique immediate, & ſufficienter: quia, inquit, etſi natura & gratia ſupernaturalis diuerſi ordinis ſint, non obeſt quominus vnius ad aliud ordo ſit immediate diſpoſitiuus: vt agentia corporea diuerſi. & inferioris ordinis, atque anima, ordinem tamen, & facultatem habent diſponendi immediate ad infuſionem animæ à Deo: addit vero id meriti, & diſpoſitionis ad gratiam prædeſtinatis non, niſi ex ſpeciali Dei prouidentia contingere, quæ pars prædeſtinationis ſit, complectentis quidquid quovis modo hominem iuuat, vt ſalutem, & finem prædeſtinationis aſſequatur: in quo additamento ſibi contradicit. Siquidem totus obiectiuus ambitus prædeſtinationis, vltra gratiam ſpecialem prorſus indebitam naturæ, eiuſque effectus non extenditur, extra quam motio illa ſolum generalis, & naturæ arbitrij debita, atque inde ortum meritum, & diſpoſitio proxima ad gratiam ſunt, eſſeque Durandus ſtatuit. Mitto apparentem aliam horum contradictionem cum eo, quod dixerat in 1. d. 39. quæſtione tertia fine. *Deum ſcilicet omni creaturæ rationali contuliſſe auxilia per quæ poteſt vitare mala culpæ & impedimenta ſuæ ſalutis.* Intelligit enim auxilia hæc arbitrium, præcepta & conſilia præciſè, quæ omnibus dari, ait, d. 46. etſi ſpecialis motionis Dei, & adiutorij interni, in quibus Dei gratia eſt, pluribus negari ibidem dicat, quo ſimilis ſpecies contradictionis eiuſdem Durandi 4. d.14. quæſtione prima de pænitentia omni ex parte honeſta euaneſcit. Eiuſdem ſenſus reus agitur Dionyſius Carthuſianus in 2. d. 27. quæſtione tertia ante medium, dum tacite Richardi ſententiam relatam dum non impugnat videtur approbaſſe de diſpoſitione & merito remoto, & ſecundum quid gratiæ infidelis etiam facientis quod in ſe eſt, eaque diſtinctione diſpoſitionis mediatæ aut remotæ, & immediatæ ac propinquæ putat Richardi, Sancti Thomæ in ſenſu priori, & Durandi ſententias poſſe componi; ſed tamen non docet expreſſe facienti quod in ſe eſt abſque ſpeciali motione vltra communem, & debitam naturæ eam diſpoſitionem remotam & meritum ſecundum quid gratiæ poſſit contingere: quare piæ explicationi locum reliquit. De eodem ſenſu damnatur Dionyſius alter Ciſterſienſ. in 2. d.27. quæſtione vnica, articulo primo, notab. 2. quod dixerit. Gratia gratis data ſpecialiſque non eſt gratum faciens, ſed quæ ſtat cum peccato mortali, poteſt dici *quodlibet auxilium ad actum bonum bonitate præciſè morali ſicut habitus ſcientiarum, vel reuelatio & huiuſmodi.* Cum autem (inquit Ruiz citata d.21. ſectione 4. numero 13.) habitus ſcientiæ naturalis prorſus ſit, vt Dialecticæ, Philoſophiæ, &c. & viribus naturæ adquiribile: ergo auxilij ſpecialis nomine, quod præuenire neceſſario merita omnia, & præparationem quamvis ad gratiam aſſerit, naturale prorſus auxilium, & facultate ſola adquiribile intelligit: quare cum eo articulo concluſione 4. & articulo 2. concluſione 1. & ſequentibus, & articulo tertio, Corol.1.& 2, docet gratiæ ſpecialis præuenientis neceſſitatem merita, & diſpoſitiones quaſvis ad gratiam (vti etiam docuerat d.25. quæſtione ſecunda, articulo primo, concluſione 5.) nihil naturæ & facultati noſtræ naturale indebitum requirit. Sed vero adhuc piam interpretationem patitur: cum enim expreſſe toties neceſſitatem gratiæ præuenientis Catholicè ad meritum, & præparationem gratiæ & ante illum textum, & poſtea requirat: non ad id ipſum naturale prorſus, atque omni ex parte ſolummodo requiſiſſe credendus eſt; ſed habitus ſcientiarum, ſupernaturales ſaltem quoad modum: quod inde ſuadetur, quod eos cum reuelatione naturæ indebita, immo fide ſupernaturali potius interna reuelationis nomine ſignificata coniunxit. Secundo illo *ſicut* non deſignaſſe materiam gratiæ ſpecialis ſed modum iuuandi gratiæ ſpecialis Dei præuenientis, nempe per internam illuminationem & motionem qualem habitus ſcientiarum, & reuelatio in intellectu cauſant Neque enim habitus ſcientiarum vniuerſim ad opus morale mouere vir doctus iudicabat, qui pleroſque ſcientiarum habitus ſpeculatiuos eſſe cognoſcebat.

10. Potiori iure pro eo ſenſu refertur Gerſon 1. parte, Alphab 65. littera G, tractatu de vita ſpirituali lect. 1. dicens: *Nolo negare, quin anima poſſit ex ſua virtute naturali bene moraliter agere, & faciendo quod in ſe eſt, ſe ad vitam gratiæ diſponere.* Vnde apertius redditur (quod excuſari vtcunque in alio ſenſu poterat) eodem malo ſenſu illud ab ipſo dictum Alphabetum 24. in regula moralium littera M. *Nulli facienti, quod in ſe eſt, (hoc eſt bene vtenti donis iam habitis) deeſt Deus in neceſſariis ad ſalutem; ſiue illa ſint credenda, ſiue operanda.* In eundem ſenſum citatur Alphonſus Toſtatus vulgo Abulenſis, quia eius Epiſcopatus ſacris infulis fuit inſignitus in cap.19. Matth. quæſt.181. ad 4. & in c.21. Matth. quæſtione 211. vbi ait facientibus, quod in ſe eſt, Deum præſto adeſſe, vt gratiam, tum ad fidem prærequiſitam, & auxiliantem ad reliqua opera ſupernaturalia, tum gratiam ipſam formaliter iuſtificantem impertiatur, cæterum vtrobique ait Deum ſemper vt faciamus quod in nobis eſt vltra naturales vires rationis, & arbitrij pulſare interius, præueniendo: quare ad quamvis præparationem ad fidem, & ſupernaturalia, quoad ſubſtantiam dona, gratiam Dei prærequiri expreſſe fatetur: ac ſubinde nec iuſtificationis, nec prædeſtinationis initium ſub merita congrua iuſtificandi, & prædeſtinandi poſſe vllatenus venire. Adam Goddam in 1.d.17. quæſtione prima, dubio ſecundo, fine docet amorem Dei ſuper omnia & aliorum ob ipſum naturaliter haberi à nobis poſſe,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſubditque: *Exiſtimo quod ſemper in habente notitiam neceſſariam ad ſalutem, eo ipſo Deus infundat gratiam, ( quia ſcilicet faciendo, quod in ſe eſt, naturaliter ita Deum amabit ) nec aliter poteſt eſſe de iſta lege ſtatuta*: Nempe facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam. Quibus non ſolum remotam diſpoſitionem initij iuſtificationis, ſed proximam præparationem meritum, & diſpoſitionem formalis ipſius iuſtificationis operi ex propriis ſolum & naturalibus arbitrij viribus concedit. Nicolaus Orbellis in 2. d. 27. & 28. art. 2. Richardi memoratam ſententiam & ſenſum ex propriis ſolum viribus ſequitur. Bononia in 2. d. 29. q. vnica fine. *Exiſtens in peccato mortali ſine gratia, ſi facit quod in ſe eſt, & quidquid poteſt ad hoc vt non peccet vitat omnia peccata: quia ex hoc ipſo gratia Dei infunditur*: ipſum verò loqui de faciente, quod in ſe eſt viribus naturæ ex contextu conſtare fides penes noſtrum Ruiz ſit proxime numero 23. Refertur etiam in eum ſenſum Hadrianus quodlib. 4. quæſt. 1. §. *Ad ſciendum autem*, vbi ex Pſalm. 143. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & deprecationem eorum exaudiet*: & gloſſ. ad Rom. 5. qui iniquitatis Deum arguendum fore ait, ſi refugientes ad ſe non reciperet, doceret: & paratum eſſe Deum ſuccurrere facienti quod in ſe eſt in neceſſariis ad ſalutem vel miniſterio hominum, vel auxilio alio ſuo ipſum inſtruendo; ſed certe neque ibi, neque quolib. 7. quæſtione 4. med. vbi dilectione Dei ſuper omnia poni nos in ſtatum ſalutis ait, excludit auxilium præueniens, cui cooperetur, quantum ex ſe eſt, faciens, vel Deum ſuper omnia diligens. Abertus Pighius refert à fide dignis Doctoribus ( teſte Ruiz ſect. 5. num. 2. ſcripſiſſe lib. de libero arbitrio contra Caluin. pag. 99. facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ Deum conferre auxilia gratiæ: aliis vero locis citatis à Ruiz idem poſt med. §. *Neque hoc recte*, etſi noſtras præparationes, & opera diſpoſitiones ad recipiendum Spiritum Sanctum, ſi adſint, & non recipiendum, ſi deſint, dicat: tamen eas diſpoſitiones ex puris naturalibus eſſe non explicat; tametſi medelam, & ſanitatem miſericordiæ, & gratiæ Dei antecedere dicat: gratia enim formaliter iuſtificans medela, & ſanctitate propriè, & formaliter ſignificatur. Immò vero ſuperius fidem, vt ad Deum regrediamur, & miſericordiam imploremus, longe antea requiſierat. Driedo lib. de concordia lib. arbitr. cum prædeſtinatione p. 2. c. vlt. §. *Hic iam, ſi dixeris*, ſenſum proloquij ex viribus ſolis naturæ tradit, vt pie credendum ſit ita facienti, quod in ſe eſt, Deum gratiæ auxiliis etſi non illico tandem ad futurum tametſi de captiuitate & redemptione generis humani tractatu 4. capite ſecundo, parte 3. vſque ad finem, & parte 4. & parte 8. memb. 2. ſentent. 3. & 5. & m. 4. concluſione prima, ſed præſertim, & explicatius tractatu 5. capite ſecundo, verſ. fin. fol. 126. explicet de ſola remotione impedimenti peccatorum in quæ ni faceret, quod in ſe eſt, incurreret, quibuſque magis diſtans à præparatione ad gratiam, atque ea minus dignus redderetur.

11. Richardus Tapper de libero arbitrio, articulo 7. circa med. §. *Doctores autem*, ſcribit. *Quod tamen etiam Deus adeſt facienti, quod in ſe eſt ex puris naturalibus ad illuſtrationes & inſtinctus diuinos, ad quos ex immenſa erga peccatores charitate inuitatur, non autem ex vllo merito aut dignitate pie creditur; ſed, quod ſemper, & quaſi infallibili ordinatione eis adſit, vt neceſſaria ſalutis largiatur, diximus ſuperius ex ſcripturis non certo conſtare poſſe, pie tamen hoc confidimus.* Et hic quidem meritum omne, & diſpoſitionem poſitiuam ad gratiam vllam ex neceſſariis ad ſalutem: quare, & ad primam auxiliantem, initiumque iuſtificationis, & ſalutis, ac ſubinde prædeſtinationis naturæ viribus denegat, ſecus autem diſpoſitionem negatiuam per impedimenti peccatorum ablationem, quam tacitè excluſione poſitiuæ diſpoſitionis tantum, ſatis fatetur, & anteriori, poſterioríque contextu expreſſe facultati naturali arbitrij concedit. Caſtro de lege pœnali libro ſecundo, capite 14. columna 5. & 6. ignaro de Myſteriis, & neceſſariis ad ſalutem, facienti tamen, quod in ſe eſt, non eſſe permittendum tandem, vt ſine fidei notitia moriatur; &, ſi non protinus illi detur, dandam vero illico gratiam, quæ cum gratum, & iuſtum formaliter faciens non ſit ( auxiliantem intelligit ) eamque ad faciendum: anterius, quod in ſe eſt datam, dandamve neceſſario eſſe videtur negare: ac proinbe de faciente, quod in ſe eſt, ex puris naturalibus, & ſola arbitrij poteſtate loqui videtur Ioann. Medin. Cod. de pœnitent. tract. 1. quæſt. 11. §. *Nune ad motiua*, fine pro eodem ſenſu refertur; immeritò tamen. Tum: quia de fide ſupernaturali loquitur, quam ex viribus ſolis naturæ haberi poſſe ne Semipelagianis quidem, nedum Catholico alicui Theologo venit in mentem. Tum: quia gratiam ſolum ſuper abundantem & extraordinariam excludit Michaël de Medina 3. de recta in Deum fide c. 1. inter princ. & med. ab eo ſenſu ex viribus naturæ, tametſi de reliquo textus excuſari benigne poſſet, ob Semipelagianam rationem, qua ſuum effatum probat, & concludit inexcuſabilem ſe reddit, ſic enim ait. *Quod* ( ſcilicet alius in fidem veniat, alius in infidelitate ſordeſcat ) *quanquam quidam in diuina iuſtitia inſcrutabilia reducant: ego tamen malim in merita, vel demerita, qualia ante fidei aduentum, vel poſtea per vſum fidei ſuſcipiendæ haberi poſſunt referre: quod eam opinionem quæ à prædeſtinatione opus noſtra excludit ex animo oderim. Nec enim poſſum æquo animo ferre Deum maiori affectu ad quemvis hominum trahi, quàm ad alium.* Vega 6. in Trident. c. 17. & 20. fidei ignaro adulto ſequente honeſtum, & fugiente turpe ex ſola legis illius cognitione naturali, & humano modo habita, Deum præſto adfuturam gratiæ formaliter iuſtificantis infuſione fusè docet, & probare contendit: quo benigne interpretationi viam occluſit, & iis quæ libro 13. capite 12. columna vltima ſcripſit. *Vel hoc argumento poſſemus conuincere, quemlibet viatorem poſſe ſecundum legem communem conuerti: quia nullus eſt ex viatoribus, qui non poſſit bene vti naturalibus: ei autem qui hoc fecerit Deus qui nemini deeſt facienti, quod in ſe eſt, auxilium ſine dubio præſtabit ſufficiens ad obtinenda ſupernaturalia.* Conſtat enim ex aſſerta prius atque ex inſtituto à ſe probata doctrina illud *ex naturalibus, & facienti quod in ſe eſt* abſque vlla gratiæ præuentione, cui ex naturali ſua facultate voluntas cooperetur ab eo intelligi. His tamen contradicit ipſe lib. de iuſtificatione c. 7. propoſit. 1. 2. & 5. & ſolut. ad 2. argumentum contra illam & libro 8. c. 11. aſſerens, in naturalibus nullam vim meriti de congruo, aut diſpoſitionis ad gratiam; tametſi male, eo libro 8. c. 5. 11. & 15. neget meritum congruo gratiæ rationi obeſſe. Corduba libro 1. quæſtionar. de ignorantia quæſt. 4. maxime propoſ. 5. probatione & 7. & longe inferius, §. *Ad commune autem dictum* in ſenſum ex viribus naturæ facienti, quod in ſe eſt, Deum non defuturum gratia ſua ſupernaturali, vt ipſum ſupernaturali dilectione ſuper omnia diligat, & obinde formaliter iuſtificetur Proloquium intelligit, & quæſt. 5. ad 4. argument. ait, facere *in hunc ſenſum facienti, quod in ſe eſt, per vires naturæ Deus non denegat gratiam: quia præſto eſt Dei auxilium illuſtrantis hominem, & mouentis ad cognoſcendum, & amandum illum, vt finem ſupernaturalem, & ad ſe vltimate, & perfecte diſponendum ad gratiam*: iuſtificantem ſcilicet In eum etiam ſenſum incidit, dum ei in Caſſiano medicinabatur Ciaconius annotationibus in ipſum propoſ. 2. citaturque pro eodem ſenſu Antonius Pantuſa libro de prædeſtinatione & gratia capite 6.

12. Matthæus Fæliſius d. 24 inſtitut. Chriſtianæ c. 20. & 21. Calderarius in Pſalm. 50. lect. 15. eidem Scholaſtico axiomati ſenſum ex viribus naturæ male texto diſcurſu inſeruit. Ioannes à capite fontium aſſertione Catholica de libero arbitrio ſub med. non ita clare pro eo ſenſu loquitur, vt Catholice intelligi optime nequeat. Palacios in 2. d. 29. diſputatione 1. fine actioni, operique omni ex puris naturalibus elicito rationem diſpoſitionis directæ, etiam remotæ, negat: ſicuti toto contextu diſputationis, in quibus tacite rationem indirectæ diſpoſitionis admittit: immò & expreſſe colum. 7. & 8. quatenus ſe ita naturæ viribus bene vtens minus, quam male vtens, gratia indignum reddit, eius verba, §. *Iam vero ſunt. Nam, qui ad modum prædictum vitam ſuam moderatur infidelis, faciliorem habet tranſitum, vt illuminetur ad Chriſtianam pietatem quam qui corruptam vitam degit.* Carthagena de prædeſtinatione diſcurſu octauo circa med. §. *Reſpondendum igitur* ait, quandoque homo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*homo fecerit, quod in ſe eſt, iuxta id, quod poteſt, ſiue per vires naturales, ſiue per vires ſupernaturales, Clementiſſimus Deus illuminabit illum vt credere poſſit. Nec ideo equidem aſſero illud operari, quod in ſe eſt per vires naturales eſſe verum, infallibilem, rigoroſamque diſpoſitionem ad gratuita dona; ſed certe congruitatem quandam, quæ potius ſe tenet ex parte diuinæ bonitatis*, quod poſt pauca magis explicat dicens ad iuſtificationis, ac ſubinde prædeſtinationis initium, *naturam concurrere per modum remouentis impedimenta: qui concurſus eſt accidentarius.* Quibus duo docet, quæ noſter Ruiz d.15. ex inſtituto, & ſæpe obiter d.21. & explicatius d. 22. ſenſum Catholicum, & ab omnibus admittendum habere poſſe docet. Nempe opera noſtra ex viribus naturæ ſolis facta eſſe occaſionem, non quidem Deo à nobis oblatam, ſed ab ipſo arreptam ad gratiæ collationem; id valent verba illa Carthagenæ, *congruitatem quandam, quæ potius ſe tenet ex parte diuinæ bonitatis.* Secundum diſponere ad gratiam tantum remouendo impedimenta peccatorum, quibus maior gratiæ recipiendæ indignitas adeſſet: id continent verba Carthagenæ poſtrema, & alij ex recitatis dixerant: propterea à Ruiz laudati in hoc Doctorum cathalogo Doctores noſtræ ſocietatis omiſſi: quia ij fere omnes plenius, planiuſque quàm alij eius proloquij Catholicum, & dogmaticum ſenſum expreſſerunt, vt certamine tertio videbimus. A quibus Didacum Ruiz non excludo, licet nonnulla præſenti difficultati inutilia cum præmiſiſſe d. illa 15. & d. 21. explicaſſe vel replicaſſe videam: de quo certamine ſequente: ſed nec Cardinalem noſtrum Toletum in cap. 8. epiſtola ad Roman. annnot. 31. verſ. fin. etſi ait. *Quamvis aliquam cauſam eſſe affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem, & gratiam vocare voluerit, & propoſuerit, non autem illos; non propterea tolli rationem gratiæ diuinæ.* Duo autem circa ſenſum proloquij huius videntur à recitatis Doctoribus pro ſenſu ex viribus naturæ aſſeri. Primum in operibus è ſola arbitrij facultate, abſque vlla gratia ſpeciali Dei præueniente, dari cauſam, & rationem meriti congrui, aut diſpoſitionis ad gratiam ſupernaturalem, ſiue primam, & vnde ſupernaturalis prouidentia, & prædeſtinatio inchoetur, ſiue vlteriorem gratiam à prima, immò etiam ad formaliter iuſtificantem, iuxta varias ſententias recitatas. Secundum aliquo modo diſpoſitis per vires naturæ gratiam ſupernaturalem altervtram eſſe infallibiliter, & quaſi ſtata lege, vel ſaltem piæ, ac prudentis æſtimationis morali certitudine adeo conferendam, vt prædictorum plerique aiunt, negantibus nonnullis. Negantes eiuſmodi infallibilitatem proloquium præſens adæquate, ac plene non explicant, tametſi eius explicent partem, de facultate, ex qua facere, quod in ſe eſt, quiſque poſſit, vt initium ſaltem primum iuſtificationis & prædeſtinationis apponat: quæ in præſenti prædeſtinationis, & in controuerſia de gratiæ & iuſtificationis initio, pars eſt præcipua: ſiquidem, vndecunque meritum primum, ac diſpoſitio ad gratiam aliam non præſuppoſitam habeatur, ſiue ex puris naturalibus arbitrij noſtri, ſiue ex gratiæ etiam auxiliantis præuentione neceſſaria, quæſtioni eidem remanet locus: An ita primo operanti gratia vlterior, & cooperanti cum hac vlterior, & ſic vſque ad iuſtificationem de lege, aut piæ, ac prudentis æſtimationis morali certitudine ſit infallibiliter à Deo conferenda.



## CERTAMEN II.

*Nullum, quantumvis tenue, & remotiſſimum prædeſtinationis, aut iuſtificationis initium merito, aut diſpoſitioni directæ, & per ſe vel etiam indirectæ, & per accidens, poſitiuæ, ſeu negatiuæ è ſolis arbitrij creati viribus differri ſalua fide Catholica poteſt.*

1. Concluſio hæc primæ proloquij partis ſenſum erroneum excludit, vt inde facilius Catholicus deprehendatur certamine 3. excludit autem ſenſus omnes hactenus à Doctoribus excogitatos, & excogitabiles, vt oppoſiti effati durities, atque fidei Catholicæ oppoſitio, vel temperetur, vel tegatur, vt ſingula Doctorum temperamenta, & tegumenta euoluentes ſingulatim oſtendemus. Habet autem concluſio præter dogmatum fidei, quæ ſubiiciemus authoritatem Doctorum omnium, etiam quos certamine 3. producemus, eorum etiam omnium, qui gratiæ præuenientis ad quodvis opus abſolute bonum, & honeſtum neceſſitatem expreſſe docuerunt, nec alicubi retractarunt, id ipſum negantes expreſſe, vel oppoſitam præſenti concluſioni docentes, vt de non paucis, quibus infimis diſcurſibus aduerſa imponebatur ſententia oſtendimus certamine 1. & illico ſummatim referemus: inſuper qui concluſionem aduerſam retractarunt vt S. Thom. recitatus eodem certamine numero 2. & inibi Albertus, & Rayner num.3, Qui vero immerito de oppoſita concluſione arguuntur ſunt S. Bonauent. eo numero excuſatus, item Paludanus Ægid. Rom. Capreol. & Deza numero 3. & 4. Conrad. ſenior ibid. Ferrara & Magiſt. Victor. Delphin. & Barthol. Medina n. 5. Bañez, Aluarez, & Marſil. n. 8. Dionyſ. vterque Carthuſ. & Ciſtercienſ. num. 9 Alphonſus Toſtatus Abulenſ. num. 10. Pighius ibidem, Ioannes Medina numero 11. Hos autem omnes prolixius certamine 1. ſingulatim ab eo ſenſu ex naturæ viribus excuſaui, & hic ſummatim recenſui, non ſolum, vt Catholicæ conconcluſioni tot Scholaſticorum Theologorum (quorum vtpote rigidius diſputantium, & loquentium in rebus dogmaticis authoritas eſt ex humanis ſumma) momenta ſubiungerem: verum, ne dum oppoſitam concluſionem quomodolibet temperatam erroris inſimulo videar contra antiquos omnes, (quos pro oppoſita ſtare vulgo creditur) pudorem ſoluiſſe: quanquam & id agendum eſſet, ſi pro oppoſita (quod Deus non permitteret) ſtetiſſent, vbi de fidei diuinæ, vt in præſenti euenit, authoritate, & indēnitate res agitur. Nam quandoque Scholaſtici diſcurſibus quam Patrum, & Conciliorum lectioni attentiores ad fidei dogmata bona fide, & animo, incautè tamen, videmus offendere: idque Scholaſticis Theologis S. Thomæ coætaneis exiſtimo, vt plurimum, contigiſſe: cum illum ipſorum authoritate ſicuti, & Albertum Magnum, videam conceſſiſſe; tametſi vterque tandem ex proprio ſtudio, & ſententia ab eis diſceſſerit, & reſipuerit. Iam vero ita Scholaſticis Theologis omnibus dogmatica hæc concluſio (profundi Doctoris noſtri Vaſquez, vel maxime opera) facta eſt communis, vt niſi ſciens, volenſque, nequeat deinceps aliquis aberrare. Antiquioribus autem, qui aberrarunt lapſus non eſt æqualis, & omnibus communis. Nam Iauellus ad omnia gratuita Dei dona, etiam formalem iuſtificationem, & gratiam gratum facientem diſpoſitionem arbitrij viribus, & facultati concedit cert. 1. numero 6. Zumel num. 7. Gabriel num. 8. Bachon, Durand. Gerſon, & Richardus num. 9. & Nicolaus de Orbellis num. 10. Corduba n. 11. His vero non Semipelagianiſmum

ſolum ſed Pelagianiſmum incurrere videntur. Pelagiani enim ad opera non ad initium iuſtificationis tantum, ſed ad gratiam gratum facientem, & iuſtificationem ipſam immediate, & proximè à Deo recipiendam neceſſaria, & præuia naturales vires arbitrio creato deferebant; Semipelagiani vero ad primam ſolum gratiam auxiliantem, vnde, & iuſtificatio, & prædeſtinatio inchoatur. Probata vero impotentia diſpoſitionis meritiuè cuiuſvis puræ arbitrij naturali facultati, adhuc ad iuſtificationis, & prædeſtinationis initium, contra modum vtrumque concludetur.

2. Probatur autem: quia, quomodolibet ponatur ex arbitrij viribus iuſtificationis, & prædeſtinationis, cuique ſuæ, & propriæ initium, eſt Maſſilienſium & Semipelagianorum ſententia: atqui hæc damnata eſt ab Eccleſia, vt Hæretica: ergo & ſcholaſticorum ſententia illa, quomodolibet ab eis explicetur. Maior oſtendetur inferius; dummodo ſingulos, quibus à Maſſilienſium errore ſuam ſententiam diuidere, ac ſeparare Scholaſtici præfati contendunt ſingulatim referemus & confutabimus, Minor probanda primum, & ex profeſſo erat, vt ſemel pro præſenti diſputatione & pro controuerſia de gratia errorem hunc, & quidquid ipſum concernit euerteretur. Atque nonnulla ab authoritate recitaui contra eum errorem q. 2. cert. 4. n. 2. & 3. plura perſtringens ex ſcriptura, Conciliis, & Patribus, & citans quæ aliaque plura, ſi quis ad longum legitimaque contra hunc errorem intelligentia firmiſſima velit videre Vaſquez noſtrum (cui reliqui ea debent) adeat diſputationibus citatis maxime 91. à c. 11. Nihil enim aliis Doctoribus, cum ad copiam, tum ad ponderationem, & methodum præter tranſcribendi laborem faſtidioſum reliquum fecit. Venio ad maioris probationem: quam, ne verbis quidem (vt conati ſunt alij iam refellendi) eluſerunt, Guillelmus vterque Pariſienſis, Altiſiodorenſis relati cert 1. n. 3. Argentina, & Iauellus n. 6. Scotus, Gabriel, & Maior num. 8. Ioan Bachon, & Richardus n. 9. Vega, Corduba & Pantuſa n. 11. qui meritum congruum gratiæ prædeſtinationis operibus iuſtificandi & prędeſtinandi ex pura naturæ facultate profectis, eaſque præuenientibus abſolute, & expreſſe concedunt: quod, ad ſummum, immò & eo minus, Maſſilienſes contendebant, vt conſtat ex q. 2. ſæpe præſertim cert. 1. & 4. atque ex iam contra alios modos ſubiiciendis. Nec ſatis meriti, quod in operibus ex naturæ ſolum facultate gratiam præuenientibus recognoſcebat rationem diſſimulauit Zumel eod. cert. 1. n 7. verbis illis, quod ſcilicet merita gratiæ non quidem abſolute, congrua adhuc, ea opera ſint, ſed ſolum initiatiua, & impetratoria. Quid enim aliud operis boni congruum meritum habet, quam bonitate ſua donaturum inuitare, vt aliquid, tametſi eius valori inæquale, & excedens; quia meritum eius condignum non eſt, præ ſua tamen bonitate largiatur. Illud verò *impetratorium* meriti abſolutè congrui rationem non euacuat, ſed demonſtrat, ex Auguſtino epiſt. 105, verbis illis recitatis quæſt 2. certamine 4. num, 5. *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine merito eſt, ſi fides hanc impetrat.*

3. Haud melius ab errore Maſſilienſium ſe expediunt, qui vim operum naturalium meritiuam gratiæ, quam defendunt, illis verbis extenuant, *meriti vix meriti, & ſecundum quid meriti*: ſi enim *vix* meritum eſt, meriti rationem ſaltem congrui pertingit; alioqui, ne vix quidem meritum eſſet, illud vero *ſecundum quid* merito congruo abſolute tali conuenit. Nam ſimpliciter, & abſolute dictum meritum ſolum condignum meritum communiter dicitur. Et demum, vel in operis mere naturalis bonitate, & honeſtate, quæ meritum ſecundum quid ſolum eſt, ex naturæ ſolius viribus habita adeſt Deo aliquid incitamenti inuitationis, atque obiectiuæ ſuaſionis, ob quam gratiam largiatur vel nihil? ſi nihil, nec ſecundum quid meritum eſt; ſi aliquid ad meriti abſolute congrui nihil vltra requiritur, vt de ſe patet, & quia vlterius aliquid in ratione meriti congrui vniuerſim ſumpti non poteris nec nobis oſtendere, nec tibi inuenire; quamvis in vno merito congruo maiori, ſiue ex ſpecie ſua, ſiue ex intenſione operis meritorij, incitamenta, inuitationem, & obiectiuam ſuaſionem reperias maiorem. Recurrunt, vt Semipelagianiſmum fugiant, nonnulli ad meritum ſolum remotum immò remotiſſimum gratiæ, ſed non operæ pretio maiori: etenim, ſi de prima gratia, cuique prædeſtinatorum, & iuſtificandorum loquantur, ſibi ipſis ea euaſione contradicunt: quia in eorum ſenſu, quidquid in vnoquoque iuſtificando, & prædeſtinato primam auxiliantem ipſi gratiam meritorie abſque anteriori auxilio gratiæ præuenientis præcedit ex facultate naturæ eſt, vt ipſi ſuo hoc errore fatentur: ergo, quod reſpectu primæ illius gratiæ auxiliantis, proxime etiam, & immediatè præcedit, ex pura facultate arbitrij naturali ante primam gratiam auxiliantem non eſt, ſed gratia alia prior præcedit contradictione manifeſta, & in qua nihilominus inſtauretur argumentum. Si autem dicas opus ex viribus naturæ profluſ ortum reſpectu gratiæ primæ auxiliantis proximum, & immediatum meritum eſſe, at reſpectu vlterioris, & vlterioris gratiæ auxiliantis, quovſque ad iuſtificationem formalem, & perſeuerantiam finalem perueniatur remotius, & remotius meritum ex viribus naturæ eſſe, & reſpectu iuſtificationis & perſeuerantiæ remotiſſimum: id ipſum Maſſilienſes dicebant, vt vidimus quæſt. 2. certamine 1. ac pluries, & quicunque à Pelagij errore ex parte ſolum deficientes iuſtificationis, & prædeſtinationis initium tantummodo ſub merita, & opera noſtra pure naturaliter elicita euenire Semipelagiani defendant: ac demum Maſſilienſes tenuiſſimum quodvis meritum, occaſionem ex propriis naturæ meritis, ſeu anſulam requirebant, de eoque damnantur.

4. Meritum congruum adhuc, primæ gratiæ auxiliantis cautiores alij operibus è ſola naturali arbitrij facultate exhibitis recuſant concedere, ſolamque diſpoſitionis rationem in illis admittunt: vt qua poſſint, Conciliorum & Pontificum, Patrum de oppoſito definitiones, voce ſaltem tenus, euadant. Aiunt enim diſpoſitiones haſce ad cauſam materialem ſpectare, cuius præcedentia reſpectu gratiæ admittenda ab omnibus in ſubiecto gratiam recepturo eſt, nec rationi gratiæ officit, vt obeſſet, ſi meritum, & in genere cauſæ efficientis, ad quod cauſa meritoria reducitur, gratiam præcederet: quæ erat Pauli & Conciliorum ratio pręcipua, & in pręcedentia materiali diſpoſitionis non currit: nec dipoſitio proportionem cum forma, quam meritum cum præmio requirit: ac proinde diſpoſitio naturalis ad gratiam ſupernaturalem, ſecus autem meritum eſſe poſſe: ita Albertus n. 1. recitatus primo teſtimonio, & S. Th. 1. d. 41. art. 3. corp. & ad 1. q. 89 art. 6. corp. relatus n. 1. antequam ſententiam retractaſſent Alex. n. 2. Caiet. n. 4. diſpoſitionem ſolum *& ſecundum quid* eſſe ait. Dominicus Sot. relatus n. 5. inſufficientẽ & remotiſſimam. Durandus de diſpoſitione clarior: in primis hæc additamenta diminuentia rationem diſpoſitionis quam operibus hiſce concedunt Caietanus, & Soto eidem argumentis, quibus merito congruo ab aliis eadem & ſimilia adhibita repulimus, rejicienda ſunt: inconueniens enim, ſi quod in ratione diſpoſitionis inueniatur, eis additamentis nec vitatur, nec emollitur, vt ex dicendis clarebit. Etenim opus honeſtum, & bonum morale illud diſpoſitio phyſica ad gratiam ſupernaturalem non eſt, per hoſce, ſed moralis ſolum: quatenus, ſcilicet, bonitate, & honeſtate ſua Deo placet, & ex cuius complacentia Deus mouetur ad gratiæ dona ita honeſte, ea operanti elargienda; alioqui eorum operum bonitas, & honeſtas abſoluta impertinens, & inutilis ad eiuſmodi dona à Deo obtinenda foret: atqui nil aliud meritum congruum in opere honeſto, & abſolute bono à primis aſſertum omnino eſt: ergo diſpoſitionis nomine rem ipſam meriti congrui, quam verbis negant, operibus bonis ex ſola naturæ facultate concedunt: ac proinde diuerſitas cauſalitatis harum diſpoſitionum à meriti congrui cauſalitate nulla inuenitur: & paritas materialis præcedentiæ ſubiecti gratiam recepturi ad gratiæ receptionem diſparet: immò, ſi diſpoſitionis, phyſicæ etiam ratio & motio accurate diſpiciatur, percipiaturque, inuenietur plane non ita reſpectu formæ, ad quam ſubiectum diſponit, pure materialiter concurrere, etſi ex parte materiæ formam recepturæ ſupponatur, vt munus agendi non quidem phyſice, ſed intentionaliter in formam, ad quam diſponit, non exerceat: exigit quippe vere à Deo, vt formam ſubiecto quod ipſa diſponit, inducat: quod longe diuerſum cauſandi genus eſt à cauſalitate pure materiali ſubiecti ipſius pure receptiua, atque

cauſalitati

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cauſalitati meriti ad præmium prorſus ſimillima; niſi, quod meritum morali non phyſica actus bonitate, & honeſtate Deum mouet ad præmium conferendum, contra vero diſpoſitio phyſica ſolum bonitate, & entitate ad inducendam formam ſubiecto, quod ad illam recipiendam ornat, ac diſponit: ratione cuius formalis ornamenti, & diſpoſitionis ſubiecti ex parte cauſæ materialis ſe tenere dicitur: aſt ratione exigentiæ formæ, ad quam ſubiectum diſponit ad genus cauſæ efficientis intentionalis, æque, atque cauſa meritoria reduci debet: ac proinde, ſi morali, ac non phyſica ſolum bonitate ad formæ inductionem moueret, ab eius inductione gratiæ rationem depelleret: cum ergo morali bonitate opera honeſta ex facultate ſola naturæ ad gratiæ infuſionem, & operantem diſponant, & Deum moueant largiturum, vt vidimus (vocat eas diſpoſitiones) æque gratiæ rationi officient, ac ſi meritum, vti reuèra eſt, eſſe admitteretur. Illud demum de proportione requiſita inter meritum, & præmium, ſecus inter diſpoſitionem, & formam, ad quam diſponit, & futile ad rem præſentem eſt: Cum diſpoſitio moralis idem vt videmus ac meritum in re præſenti ſit: & præterea eſt aperte falſum. Nam diſpoſitio ſtrictè talis, ſi naturalis ſit, ad formam ſupernaturalem eſſe repugnet: ſiquidem ex eo, quod diſpoſitio naturalis propria daretur, daretur naturalis exigentia ad ipſam, vnde & ipſam ſupernaturalem eſſe repugnaret: ſiquidem entis ſupernaturalitas eſſentia ſua non ſolum actiuitatem ſed exigentiam omnem naturæ excludat; ſecus autem meritum congruum: Cum enim ex mera gratitudine remunerandum ſit, atque hæc poſſit in retribuendo ſuperabundanter ſe gerere, atque vltra condignitatem, & æqualitatem obſequia præſtita præmij compenſare amplior in merito congruo ad præmium ſupernaturale quam in diſpoſitione ſtrictè tali locus eſſe poteſt. Mitto Concilia & Patres omne initium operibus bonis è pura arbitrij facultate habitis iuſtificationis, & prædeſtinationis Catholice denegandum præſcripſiſſe: quare, quovis modo, & nomine ea harum initium eſſe, (vt in ſolutione ſequenti expendam.) Mitto euaſionem Herize noſtri d.27.c.5. de diſpoſitione ſolum phyſica, ſatis initio impugnatam, quantumvis ſe, & illam ipſe acuerit.

5. Henricus relatus præfato cert.1.n.7.docet vt ab hiſce ſe definitionibus protegat eiuſmodi opera eſſe cauſam gratiæ à Deo præſtandæ, *non propter quam, ſed ſine qua non gratia auferretur*, verum, neque ea voce ſatis protegitur: etenim cauſa, ſiue conditio, ſine qua non, ex mera Dei voluntate, arbitrio, legeve, aut promiſſione abſque vlla conditionis de ſeſe ſpectatæ motiua virture, quin ſit cauſa, propter quam ſecundum ſe ſpectatam aliquid Deus ad eius præſentiam largiatur, rectè intelligi poteſt: quia tota largitionis eius motio ſola, vel Dei promittentis fidelitas, vel & conſtantia ac immutabilitas decretorum eius eſt, vt patet in ablutione baptiſmi, & aliis in ſacramento ad gratiæ infuſionem requiſitis: Aſt, quoties, non ex Dei promiſſione cauſa ſine qua non alicuius ab ipſo præſtandi eſt, cauſa *ſine qua non* quin cauſa *propter quam* id adeo donetur, ſit, eſſe non poteſt: quia, tunc cauſa *ſine qua non* ex eo, quod ſecundum ſe ſpectata habet, vt apponat Deus, vel largiatur id, cuius eſt cauſa *ſine qua non*, eſſe talis debet; alioqui, cum neque ex Dei promiſſione, fidelitateque, aut immutabilitate decreti, neque ex alio extrinſeco talis ſit, niſi ab intrinſeco ſui eam conducentiam neceſſariam, vt illud aliud ſit, atque adeo præſtetur, habeat prorſus impertinenter, & diſparate ad illius exiſtentiam, & largitionem adeo ſe habebit: quare ea, ſicut reliquis impertinentibus & diſparatis deficientibus illud aliud eſſe poterit, adeoque præſtari, æque, ac ſi illa exiſterent; quod rationi cauſæ *ſine qua non apertè* contradicit. Cum ergo opera iſta bona, & honeſta non ſint cauſæ *ſine qua non* ex Dei promiſſione, & decreto, de quo nullatenus conſtat, & ex quo quidvis aliud quod honeſtum & bonum abſolute non foret cauſa *ſine qua eſſe poſſet*, reſtat, vt cauſa ſine qua non gratiæ à Deo conferendæ ea honeſta, & bona abſolute talia opera ſint, quia bonitate ſua morali naturali Deo placent, eumque mouent, vt gratiam ſuam ita operantibus largiatur: quod ipſum eſt cauſam, propter quam, eius largitionis gratiæ eſſe. Et ſane id in ſuo hoc ſenſu, quo illud proloquium Henricus explicuit de faciente numerum, quantum in ſe eſt, & vtente recte, honeſtéque ſuis naturalibus viribus in boni iuxta rectæ rationis naturalis dictamen, Deum gratia ſua ſupernaturali adfuturum cauſam *propter quam*, nec ſolum, ſine qua non, gratiæ illius, dum negat, admittit. Et quid enim operis abſoluta illa bonitas, & honeſtas tantopere ab ipſo requiritur, vt gratia à Deo operanti conferatur, ſi non magis Deum eius largitorem mouet cum adeſt, quam ſi abeſſet, vt operanti gratiam largiatur. Secundo impugnatur euaſio: quia canones Concilij Mileuitani, & epiſtolæ Innocentij 1. ad illud, quæ eſt 26. & habetur tom.1. Concilior.& 91. apud tom. 2. Auguſt. ac Zozimi Pa. quos fragmentatim recitat Maſſilienſes Celeſt. Pa. ep. 1. ad Epiſcop. Galliæ c.3.can.7. & 8. & ab Arauſicano Concil, can.3. 6. & 25. initium iuſtificationis ex operis boni cuiuſvis ex noſtris viribus, non poſſe inchoari: quare neque ex bonis noſtris operibus pura naturali arbitrij facultate exhibitis initium adhuc iuſtificationis prædeſtinationis deſumi: contra Maſſilienſes, qui id ſolummodo aſſerere, definiunt. Dum ergo ex operibus bonis noſtris prima gratia auxilians, vel ſola ex qua iuſtificatio, & prædeſtinatio noſtra inchoatur proueniat, ſiue tanquam merito congruo, ſiue tanquam diſpoſitione, ſiue tanquam cauſa & conditione, vel occaſione, ſine qua non, prouenire dicatur, iam ex pure noſtris operibus initium iuſtificationis contra præfatos Canones dicetur. Itaque, quocunque verborum, euaſiones præfatas earum Authores verterint, eis definitionibus manent obnoxij, & re ipſa meritum congruum gratiæ iuſtificantis, ſiue primo auxiliantis, vt minimum, concedunt, quantumvis, vocetenus, negent, vt vidimus.

6. Reſpondent aliqui vt apud Herize, pro eorum nonnullis, docere illos totam rationem merendi, diſponendi ad gratiam operibus è ſola facultate naturæ præſtitis extrinſecus à gratia auxiliante prouenire, ex quo eis aduenit ſupernaturalitatis modis, ſine quo meritum, & diſpoſitio ſubinde proportionata ad gratiam non eſt; ita enim docere videntur Scotus in 2.d.28. q.vn. §. *ad quæſtionem* & in 3. d.27.q.vn. §. *ad quæſtionem*. Gabriel d.23. q.2. art.1. fine art.2. concl.2. Durand.in 1. d.17.q.2. num 21. Caiet.22. q.171. art.2. ad 3. quibus præluxit S. Th. in 2. d.15.q.2.art.1.ad 1. dicens: *quod quamvis liberum arbitrium de ſe poſſit in ſubſtantiam actus, non tamen in formam eius, per quam meritorius eſt*: iuxta hæc in corpore præmiſſa: *licet ſufficiat liberum arbitrium, quoad actum conuerſionis, non ſufficere, quoad efficaciam conuerſionis ad meritum. Hæc enim eſt per gratiam, quæ actui infundit ſupernaturalitatem.* Cæterum doctrina hæc & falſa eſt, & ad præſens inſufficiens: falſa quia, vt oſtendi controu.de merito tom.2.de ente ſupernaturali, tota meriti ratio realiter formaliter loquendo honeſtis operibus quibuſque ex recto libero vſu arbitrij operantis creaturæ rationalis deſumitur, nullatenuſque à gratia auxiliante realiter formaliter loquendo; ſecus realiter materialiter. Etſi enim meritum omne gratiæ, & donorum ſupernaturalium, quorum abſque præuio gratiæ adiutorio eſſe in Catholica doctrina non poteſt: quia nihil arbitrij facultas ad vitam æternam conducens quovis gradu, etiam remotiſſimo, & abſque gratiæ adiutorio valet abſolute operari: id autem ad materiale meriti, nempe opus ipſum, apponendum requiritur, & ſpectat, non autem ad meriti, quod eo in opere, eſt non niſi ex gratiæ præuenientis, & cooperantis adiutorio apponendo, realem formalem rationem. Meriti enim ratio tota realis formalis in eo quod penes operantem eſt, debet conſtitui; nullatenus vero in eo, quod prorſus alienæ eſt poteſtatis: vt auxiliantis gratiæ infuſio, & ad operandum præuentio, quæ tota tota penes Deum eſt, & ratione cuius Deus illam conferens ipſius boni vſus principalis cauſa, & author eſt: imò ex ſcientia media boni vſus, noſtri illam conferendo; ipſum nobis vſum, & meritum ex hoc realiter formaliter nobis obueniens donare nobis merito cenſetur, nec ſolam gratiam, qua, vt neceſſario comprincipio fecit: deditque nobis abſolutam bene ac meritoriè, & laudabiliter operandi, & vtendi poteſtatem, arbitrio tamen noſtro, quo ad vſum, & identice connexam & eſſentialiter ſubordina-

tam cooperationem deſpotice ſubiectam. Hinc Eccleſ. 31. Sanctor. laudes, & merita ex ſolo bono vſu gratiæ, quæ eſt à Deo præueniente, & facultatis ei cooperantis, non autem ex gratiæ præuentione cenſentur verbis illis. *Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, &c. quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Vbi, etſi ea, non abſque Dei auxilio præueniente, præſtita à Sanctis fuerint; aſt quatenus ad eorum laudem, & meritum reale formale attinet, illius nulla ibi mentio, quia nihil ad id attinet, ſed recti vſus eius, qui male, & auxilio illo vti poterat, tantum: quia inde tota realis formalis ratio meriti deſumitur, vt rationis ductu claret, obſeruatque Molina p.1.q.23. art.4.& 5. d.1. m.8. 9. & 10. præſertim §. *quod autem actus*. De S.Thom.& aliorum citatorum mente citata controu. de merito diximus: ſed, quidquid de eius doctrinæ veritate ſit, ad præſens non eſt. Si enim Doctores ad meritum, & diſpoſitionem ad gratiam operis eliciti ab eo, qui, quod in ſe, ex viribus naturæ, facit, modum illum ſupernaturalitatis, in quo meriti realis formalis ratio ſtet, ex ſupernaturali præcedente auxilio prouenientem requirunt: iam initium iuſtificationis, & prædeſtinationis, quod primo auxilio ponitur, nec merito, nec diſpoſitioni morali operum facientis, quod in ſe eſt ex puris naturalibus, poſſunt defendere, Siquidem ad rationem meriti, & diſpoſitionis ad gratiam quamvis, gratiam aliam ipſa, ad quam diſponitur, anteriorem,& primam ſubinde auxiliantem in quovis eorum operum requirunt.

7. Quinto alij operibus ex facultate naturæ meriti, aut diſpoſitionis poſitiuæ rationem omnem negant, ſolumque negatiuam concedunt diſpoſitionem per ablationem impedimenti (quo male vtens arbitrij ſui facultate peccatis admiſſis appoſitis gratia Dei ſe redderet indignum, & magis abutens indigniorem) peccatorum, quæ faciens, quod in ſe eſt, totum, atque in bonum totis niſibus contendens impedit, atque euitat, nec gratiæ Dei elargiendæ impedimentum apponit: ita Driedo recitatus eo cert. 1. n.10. Corduba, & Palacios recitati n. 11. Aluarez 7. de auxiliis d.55. eamque doctrinam Catholicam, atque ab omnibus admittendam cenſet noſter Ruiz de Montoya d.16. citata ſect.1. tota; tametſi in concluſione aliud eius temperamentum addat, quod & Palacios appoſuerat, & diſcurſum, mox ſubiiciendam, euaſionem continet, & à n.11.præcautiones plures, ne mortalia omnia viribus naturæ vitari à nobis poſſe cogatur admittere. An vero id ſatis caueat? altioris indaginis, nec huius loci negotium eſt; ſed tom.1.de ente ſupernaturali controuerſia de gratia auxiliante diſput. de neceſſitate gratiæ. Iam, quoad præſens attinet, Bellarmin.1. de gratia, & liber.arbitr.c.15. Soarius Prologomen.5. de grat. c.6. lib.8. c.7.& opuſculo 3. de auxil. c.2. ac 1.part,2. de prædeſtinatione c.18. Leſſius de gratia efficaci c.10. eam euaſionem probabilem ſaltem æſtimant: id autem ita à capite, & vniuerſim refello primo: quia negatio vlterioris, & omnis peccati præter originale, quod omnibus ineſt, formaliter, vt remotio formalis impedimenti, vlteriorum peccatorum eſt,æque immo amplior per ſomnum, & amentiam ponitur: cum per alterutrum peccatorum omnium, etiam venialium, nec ſolum mortalium, apponatur, & per multum temporis in habitualiter amentibus, & inſenſatis: atque in omnibus toto infantiæ tempore, quibus tamen, non obinde gratia Dei, cuius capaces ſunt: & qua opus habent ad ſalutem, nempe habitualis per Sacramentum, aut extra illud, confertur: vt in infantibus, & amentibus infidelibus patet: Ergo ſola ratio formalis ablationis impedimenti peccatorum præciſè, & qua formalis illorum ablatio eſt, ea infallibili lege conſequendæ à Deo gratiæ neceſſariæ ad ſalutem diſpoſitio non eſt, vt eo proloquio ſignificari præfati Doctores volebant. Dices: in infantibus ante vſum rationis, & in adultis, qui diu etiam vſu rationis, habitualiter carent, ablationem impedimenti peccatorum non eſſe ex eo, quod, quantum eſt in ſe, in ordine ad bonum, fugamque mali faciant, cum aliter agere libere, atque ex conſilio, & deliberatione poſſent: ſiquidem ideo non peccant, quia nequeunt ex deliberato operari, ac proinde nec peccare, nec mereri; in adultis vero non amentibus, ſed rationis vſum habentibus expeditum, in remotione impedimenti peccatorum: quibus ſe, vel abſolute, vel magis indignos redderent, ratione & facultate arbitrij in boni, & honeſti naturalis proſequutione, fugaque mali inhoneſti, ac turpis reperiri, quod ex vſu recto facultatis ſuæ naturalis, quod in ſe eſt, in bonum faciant, ac peccata, ſeu impedimenta gratiæ remoueant: ac proinde in eis illud axioma Theologicum habet locum: quem in amentibus, & infantibus ante rationis vſum habere non poteſt: quod ſcilicet facientibus, quod in ſe eſt, atque ex honeſto vſu rationis impedimenta remouentibus, Deus non deneget, ſed conferat gratiam. Hoc ego hoc à te expectabam: ergo non datur adultis ratione vtentibus gratia facienti, quod in ſe eſt, ob remotionem formalem impedimenti præciſè, & formaliter, ſed obiectum, bonumque rationis, & arbitrij vſum quo ab eis peccata remouentur: atqui hic rectus vſus, poſitiuum quid, & poſitiue laudabilis eſt, & diſpoſitionem ad gratiam tua hac ſolutione ingreditur; ergo non tribuitur gratia facienti, quod in ſe eſt ob diſpoſitionem, ſeu meritum pure negatiuum, ſiue ob ſolam remotionem formalem impedimenti peccati, quo male vtens gratiæ largiendæ priuationem mereretur, eaque ſe redderet, vel abſolute, vel magis gratia indignum; ſed ob poſitiuam diſpoſitionem moralem, & meritum quale quale poſitiuum, quod hactenus impugnati Doctores Maſſilienſibus conſonè gratiæ elargioni prætendebant.

8. Secundò vt gratia ſe, cum auxiliante, tum iuſtificante indignos reddant peccato originali, quod impedire nequeunt, habent ſatis. Tertiò in natura, præſertim lapſa, & per originale corrupta, atque in naturalibus etiam vulnerata, ac debilitata, in malumque propenſa, nihil, quod malum ſiue mendacium, & peccatum non ſit, poſſumus: quare nec vnius tentationis victoriam abſque gratiæ auxilio, vt citata controuerſ. de grat. auxiliante oſtendemus. Quarto, quocunque modo, ex facultate naturæ, rectoque eius noſtro vſu gratiæ largitio à nobis, noſtriſque operibus dependere dicatur, definitionibus præfatis obuiabitur. Vnde ad omnia ſcripturæ teſtimonia ex 1. ad Timott.1. *Miſericordiam conſequutus, quia ignorans feci*: & Lucæ 23. *Dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Reſpondetur, probare quidem, peccatum minus minorem indignitatem gratiæ, ſeu dignitatem carendi gratia, & beneficio Dei continere: quod tamen in mortalibus, quoad obiectiuam ſphæram dignitatis formalis vtriuſque mortalis genus, difficultatem patitur non leuem vt vidimus controu. de neceſſitate Incarnationis ad ſatisfactionem pro mortali, non ſemel; tametſi de dignitate meritiua, & valoroſa pœnæ dubium non ſit, quin in grauiori, quam in leuiori ex mortalibus ſit dignitas ſubiectiue, & obiectiue maior: id autem formali ipſius poſitione ponitur, & remotione abolitur: quam ſolam curandam non eſſe, ſed vſum libertatis malum, magiſque vel minus malum ac deteriorem attendendum eſſe vidimus nuper, & aduerſarij, velint, nolint, debent ad rem præſentem fateri, atque in ſolutione argumenti noſtri primi fatebantur: Minor autem malitia, quæ ex ignorantia in peccatis inuenitur, ex peccantis libertate non eſt, ſed quia cum ea ignorantia illa non potuit peccans ad illam malitiam peccato ſuo peruenire, ad quam, ſi adeſſet eius ſcientia, pertingeret: quod ſi ea ad ſtante peccatum minus præ maiori huius grauitate ampliore detentus, ac deterritus aggrederetur, ex gratia Dei maius peccatum omitteret, nec à Deo praue poteſtate arbitrij ſui vteretur: quare amotio maioris impedimenti ex vſu naturalis ſuæ facultatis præciſè non fieret; ſed ex gratia Dei, ac proinde defendendæ huic aduerſariorum doctrinæ de diſpoſitione negatiua & formali amotione impedimenti peccati, non præciſè ſolum, vt formalis amotio peccati, ſeu impedimenti gratiæ eſt; ſed etiam, vt à recto vſu facultatis arbitrij creati eſt, ea ſcripturæ doctrina minime inſeruit.

9. Sextò demum Caietanus relatus eo cert.1. num.4. illis verbis, *Materialiter extrinſecus, & ex dignatione potius, quam intrinſecus*, opera bona ex facultate ſolum naturæ diſpoſitiones ad gratiam aſſerens: id plane docuit: quod ipſis, ſecundum ſuam adhuc bonitatem, per accidens prorſus ſit gratiæ elargitioni quovis modo intereſſe,

ORTEG. In I. par DVIa

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

intereſſe. Id docuit expreſſis verbis Palacios relatus n. 11. vocans illa cauſam, & diſpoſitionem per accidens, & indirectam, vti noſter etiam Ruiz d. 16. cit. ſect. 1. & 2. & d. 22. ſect. 2. vbi addit eſſe cauſam arreptam potius à Deo, & acceptam, quam à nobis, noſtraque naturali facultate datam, aut oblatam, quod ipſum valet illud Caietani *extrinſecus ſolum ex Dei potius dignatione.* Hanc etiam doctrinam admittendam ab omnibus cenſet Ruiz ac longè à Maſſilienſium errore diſtare: in quo nimiam duritiem contra Caſſianum notabam in non excuſando ipſo à Maſſilienſium errore: ſiquidem teſtimonio illo Caſſiani ex collatione 13. recitato q. 2. cert. 1. ob quod in primis de Maſſilianiſmo, vel Semipelagianiſmo accuſatur hanc eandem doctrinam ſtatuit verbis illis, *Occaſiones enim quærit Deus*: quid enim quæritur non offertur; nec datur ſed inuenitur, accipiturque atque arripitur, quin porrigatur: quare, ſi eo etiam modo occaſione, & diſpoſitione accepta, paſſiue, nec per bona opera naturalia à nobis actiuè data, & oblata Maſſilianiſmus continetur in Caſſiano, in Ruiz doctrina eadem contineatur neceſſe eſt: & ſane ea non excuſari, ſi euoluantur verba, ſatis clarebit. Etenim vel verbis cauſæ per accidens, ac ſolum indirectè intelligitur, facere, quod in ſe, & ex puris naturalibus eſt, perinde ſe habere ad gratiæ largitionem, atque muſica in ædificatore, vel pileus in muſici capite ad ædificandi & pſallendi exercitium ſe habent: ea enim proprie cauſa per accidens ab Ariſtotele, & Philoſophis nuncupatur; ſed ad rem præſentem, nec ſufficit, nec eſt: ea enim nullo ſenſu cauſa eſt & occaſio effectus; ſed illo addito *per accidens* cauſæ omnino eam impertinenter, adhuc materialiter, ſe ad effectum habere denotatur: quod ad ſenſum eius proloquij, facienti, quod in ſe ex viribus naturæ eſt, Deus non denegat gratiam, non ſolum inſufficiens eſt, ſed prorſus inutile. Si autem vltra impertinentem illam eorum operum aſſiſtentiam, cum reſpectu recepturi, tum Dei largituri gratiam, ad huius largitionem aliquid aliud ſignificare velis, quo non prorſus impertinenter ſe ad gratiæ elargitionem, atque obtentionem à Deo ſe habet: iam ex parte intrinſeci operum illorum conducentiam aliquam ad gratiæ elargitionem admittis, iuxta aliquem ex modis impugnatis, vel quem velis alium, quo diſpoſitionem, ſeu occaſionem à nobis actiuè Deo oblatam, nec ſolum paſſiuam, & à Deo acceptam fateberis, teque ipſo non ſemel, ſed per diſputationes plures teſte Semipelagianiſmũ incurres. Confirmatur: nam cauſa per accidens in alio ſenſu ab Ariſtotelico, quo de pure impertinentibus dicitur, ſolum appellatur, quæ non eſt cauſa neceſſaria, ſiue eſſentialiter ad aliquem effectum requiſita, cui proinde per accidens, ſiue accidentale ſit ab hac determinatè cauſari, cum æque ab alia cauſaretur: ac proinde, & huic determinatæ cauſæ illum producere: cum ab alia poſſet abſolute in eius effectus productione præueniri eo ipſo, quod hic ab alia eſſe cauſa abſolutè poſſet. Hoc autem non tollit, quod, cum illum effectum de facto cauſat, actiuè, ſiue phyſicè, ſiue intentionaliter pro ſuæ cauſalitatis genere moueat, influatque in illum effectum.

10. Et certe hac ſecunda acceptione cauſam per accidens vſurpat Ruiz quatenus ex eius rationibus, & explicationibus, & confirmationibus percipi poteſt; etſi quandoque in primam, & propriam, ſed rei præſenti inſufficientem, vt dixi, cauſæ per accidens acceptionem, ne Maſſilianiſmum incurrere deprehendatur, videatur recurrere, & vtramque miſcere: inde enim cauſam per accidens, & indirectam probat: quia Deus ex ſeipſo vult omnes homines ſaluos fieri, & ex hoc deſiderio, cum facientibus quod in ſe ex viribus eſt ſi tales inueniat auxilia gratiæ tribuit, tum indignis etiam, quos per abuſum arbitrij inuenit: in his autem nihil Deo offertur, ſed ex ipſorum malitia arripit Dei bonitas occaſionem, ac ſimiliter ex illorum recto vſu, & occaſione, quæ ſi abeſſet, etiam gratia conferretur occaſione alia: quare, etſi verum ſit dari indignis, quia indignis, & bene vtentibus arbitrio, quia bene vtentibus: Illud, quia materialiter, non autem formaliter, ſeu pro motiua cauſalitate ſonat: quia motiuum eſt miſericordia, & bonitas Dei erga vtroſque exercenda. Fateor in peccantibus locum cauſalitatem hanc materialem obiectiuam habere poſſe; at vero locum in bene operantibus nequit habere, nec ad rem præſentem eſt ſufficiens, neque vtilis. Si enim non alio modo dignitas bene vtentium, atque indignitas abutentium arbitrio ſe ad gratiæ elargitionem habet: æque verum erit, non facienti, quod in ſe eſt, immò abutenti facultate arbitrij Deum eſſe gratiam largiturum: atque item æque verè Deum dare gratiam homini, quia peccat, atque quia non peccat, ſed bene & honeſte naturaliter operatur: quod adeo abſonum, atque ab eius proloquij ſenſu ab omnibus Theologis intento alienum eſt, vt ampliori impugnatione non egeat. Nec præſtat recurſus ad legem, & promiſſionem Dei de elargitione gratiæ ſuæ rectè operantibus, & vtentibus naturali arbitrij ſui facultate, ſecus eo abutentibus, & peccantibus. Vt enim ea lex & promiſſio extaret, quæ non extat, iam aliquid complacentiæ in operibus naturalibus honeſtis in cauſa, & motiuo fuiſſe conuincitur ad eam promiſſionem, & legem pro eis ferendam, quæ pro prauis, & indifferentibus lata non fuit: quare aliquid tandem actiuæ motionis reſpectu elargitionis gratiæ concedetur. Atque hinc conſtat à cauſalitate pure materiali obiectiua peccati, & indignitatis ſe peccatis ſuis, & arbitrij abuſa indignum reddentis ad ſimilem cauſalitatem recte illo vtentis, atque honeſte operantis conſequenti non poſſe tenere: etenim peccatum, & male operanti inducta indignitas per illud de ſeſe à gratiæ elargitione Deum auertere, ſolummodo poteſt: quare nequit ad illam largiendam Deus ſolicitari, nedum obiectiue induci: ergo, ſi ad eius præſentiam, & cognitionem Deus boni aliquid peccanti largitur non ob illud: motiue ſed ob exercitium alicuius perfectionis ſuæ poteſt ſolummodo id agere. Actus vero honeſtus, & abſolutè bonus, vndecumque oriatur, non ſolum Deo proponit obiectum non auertens, nec diſplicens, ſed de ſe ac natura ſua Deo placens cui bonitas omnis, ſiue phyſica ſiue moralis amabilis eſt, & in qua nequit ipſi diſplicere. Quo circa quoties ad eius poſitionem boni aliquid, ita bene operanti vult, & largitur ex eius operis morali honeſtate, atque complacentia in ipſa id à Deo amari præſtarique euidens eſt: eo ſiquidem modo, nempe ex complacentia in ſui bonitate bona omnia moralia ſiue naturalia ſiue ſupernaturalia Deum mouere, & ex parte obiecti præcedere apta ſolummodo ſunt, vt patet; alioqui nec de ſupernaturalibus bonis ex eo, quod obiectiuè vlteriorum gratiarum largitionem præcedant, eas meritorie cauſare, & motiue præcedere inferetur: vnde gloriam dari propter merita motiue formaliter ex ſcriptura certo non deduceretur, quod eſt erroneum: ſiquidem, ni ita hæc, quæ diximus, ſint, de cauſalitate materiali ſatis ea loca ſcripturæ explicarentur.

11. Miſſas volebam aliorum, etſi non indoctorum ſolutiones ad diſcriminandam hanc reiectorum Scholaſticorum ſententiam à Maſſilienſium errore: quia ex hactenus de eo errore dictis q. 2. cert. 1. diſiici à quovis facile poſſent: ſed pro non adeo attentis lectoribus ſummatim ea tentata diſcrimina referam in terminis, atque refellam. Leſſius noſter citato c. 10. in appendice ait: Semipelagianos, ne externam quidem gratiam ad bene operandum naturaliter admiſiſſe, occaſionem, prædicationem, tentationis amotionem, &c. quam plane præfati Theologi admittunt: verum, cum hæc omnia Pelagiani admitterent expreſſe, Semipelagiani, qui ſolum ab eis diſcreparunt, quod non ad omnia opera ad iuſtitiam, & prædeſtinationem totam, & ſalutem neceſſaria, ſed ſolum ad earum initium, ad primam gratiam auxiliantem gratiam externam etiam admiſerunt, nec vſquam à Proſpero Hilario, & ſancto Auguſtino, qui nihil non erroris Semipelagiani minutatim notarunt, & impugnarunt, quod eam externam gratiam negauerint accuſati, & confutati Maſſilienſes ſunt: vt hoc de Maſſilienſibus referant, qui tanquam ipſorum Principem, ac Ducem Caſſianum accuſant, mirum eſt eos non animaduertiſſe Caſſianum gratiam hanc externam præuenientem omnia opera noſtra honeſta expreſſe admiſiſſe collatione 13. capite 14. 15. 17. 18. & libro 12. de inſtitutis renunciant. 16. & apud Fauſtum Reghienſ. 1. de gratia, & libero arbitrio capite 12. Secundo idem Leſſius ibidem, & Bellarminus 4. de gratia, & libero arbitrio

cap. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cap. 4. Paulus Oroſius Apolog. de libert. arbitr. med. & prior Abulenſ. in c. 19. Matth. quæſt. 168. ad 6. aiunt negaſſe illos Dei concurſum ad omnes noſtras humanas actiones: ſiquidem ex Pelagij perſona hæc ſcribit Hieronymus epiſt. ad Cteſiphont. *Nunquid ſi voluero curuare digitum, mouere manum, ambulare, ſemper mihi auxilium Dei erit neceſſarium?* atque hæc Pelagij ad Deum colloquium ſubnectit. *Recede à me quia mundus ſum: non habeo te neceſſarium, dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem vt faciam quod voluero. Quid rurſum te ingeris, vt nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleueris.* Sed certè cum Pelagius gratiæ ſolum per Chriſtum auxilium ſolummodo negauerit idque ſolum à Concilio Mileuitano fateri compelleretur ſubdoleque admiſerit auxilij gratiæ nomine gratiam creationis, & naturæ debitam intelligens, concurſum Dei naturæ debitum non negauit, ſed cum æquam ad bonum, & ad malum, atque ad indifferentia opera completam poteſtatem arbitrij crederet ex eo, quod ad bonum auxilium Dei & gratiæ per Chriſtum Catholici Patres neceſſarium admitterent, ad opera etiam indifferentia auxilium ſimile neceſſario ab ipſis admittendum irriſoriè, & argumento ab abſurdo contendebat: & ſane ab explicatione hac erroris Pelagiani, & Semipelagiani, vel eo Doctores Catholici abſtinere debent: quod illas definitiones Conciliorum Mileuitani, Arauſicani, & Pontificum de neceſſitate gratiæ per Chriſtum præuenientis noſtra opera ad ſalutem, & iuſtificationem conducentia, prorſus euacuantur: cum ea explicatione admiſſa de neceſſitate concurſus diuini ad illa poſſent intelligi. Secundo: quia, ſi id negaſſet Pelagius ab Auguſtino, Proſpero, Hilario, & aliis qui eum, eiuſque reliquias Maſſilienſes ſunt inſectati notatum eſſet, & repulſum: quod præſtitum non eſt. Tertio: quia æque contra ipſos auxiliantis Dei per concurſum neceſſitas ad actus prauos definiretur, niſi erroneè dicas, id omiſſum, quia Deus ad illos non concurrere à Conciliis putaretur. Tertio idem Leſſius ibidem ait Maſſilienſes erraſſe, quod immediatum fidei ſupernaturalis meritum operibus naturalibus tribuebant, quod Theologi præfati negant: ſed certe de eo Maſſilienſes, ne curarunt quidem, cum quamvis anſulam, & initium ex parte prædeſtinandi, & ſaluandi apponi Deo vellent, vt acceptio perſonarum in gratia elargienda & his præ aliis prædeſtinandis in Deo vitaretur; ad quod remotiſſima quævis diſpoſitio, ac meritum ſatis ipſis foret. Secundo: euacuantur hac explicatione præfatæ definitiones de gratiæ neceſſitate, ad fidei ſalutis, & prædeſtinationis initium. Vndecunque enim ex viribus naturæ etſi remotiſſimè ex nobis & natura inchoetur ſalutis & prædeſtinationis initium ex nobis ac non ex Dei gratia eſt, vt ſupra dicedamus. Quarto alij aiunt Maſſilienſes gratiam internam omnem, etſi arbitrio naturalem, & debitam negaſſe, ſecus Theologos præfatos; ſed id, ne Pelagius quidem, vt proximè vidimus, nedum Maſſilienſes negarunt. Immo ſi Maſſilienſis (vt hi arbitrantur) Caſſianus fuit internam Dei inſpirationem expreſſe admittit 12. de inſtit. renunciant. c. 16. citato, quod de naturali, vt minimum inſpiratione, intelligi ab his Doctoribus debet, vt intra Maſſilienſes tenere & numerare Caſſianum aliquo iure poſſint, ſed quo in eiſdem præfatos Theologos debeant recenſere. Secundo definitiones memoratas de neceſſitate gratiæ Dei per Chriſtum ad fidei prædeſtinationis, & ſalutis initium euacuant: cum non niſi erroneè cogitationes omnimode naturales gratiam Dei per Chriſtum recognoſcere nequeant. Quinto aiunt Maſſilienſes de merito condigno ſolum initij iuſtificationis fuiſſe locutos; de congruo vero Theologos præfatos. Diſiectum hoc fuit q. 2. cert. 1. ex quibus omnibus patet quanto fidei commodo noſter Vaſquez docuerit multaque accurata ex Patribus eruditione monſtrauerit nullum bonum vndiq; & abſolute opus morale abſque auxilio gratiæ per Chriſtum efficaci creato arbitrio poſſe.

## CERTAMEN III.

### *De infallibilitate gratiæ largiendæ facienti quod in ſe eſt; eiuſque proloquij certo & Catholico ſenſu, atque in eum noſtrorum Molinæ, & Cardinalis Toleti aſſertio, & vindicatio.*

1. HOc ad integram proloquij eius veritatem teſte examinandum: etſi enim ex viribus naturæ opera gratiæ, ſaltem initialis, ad fidem iuſtitiam, perſeuerantiam, & prædeſtinationem morales diſpoſitiones, ſeu merita congrua eſſe admittantur, an infallibili, certaque lege eam eſſent à Deo obtentura ſub lite maneret: cum meritis etiam condignis præmiandis, nedum congruis, Deus natura, & eſſentia ſua non teneatur, ſed ſolum ex promiſſione, ſi in gratia nimirum condigne merens deceſſerit. Infallibilitatem hanc gratiæ conſequendæ ſiue initialis, ſiue vlterioris, pro cuiuſque ſententia relata certamine 1. docent vterque Guillermus Pariſienſ. & Altiſſiodorus numero 3. Conradus iunior Cano num. 4. VVigueriius num. 5. Argentina, Iauellus, & Nauarrete numero 6. Zumel, & Henricus num. 7. Gabriel num. 8. Adam God. Nicolaus de Orbellis, & Driedo numero 10 Richard. Tap. Michaël Medina, & Vega num. 11. Leſſius num. 12. Tametſi Nauarrete, & Driedo, *pie id ſolum credendum dicant*, quod abſolutam infallibilitatem excludunt, ſicut & Zumel aſſerens id non eſſe ex lege vniuerſali & infallibili, & Gabriel de lege ordinaria non abſoluta. Hos autem omnes quoad hanc infallibilitatem, ſiue abſolutam ſiue de lege ordinaria pro bene operantibus ex arbitrij viribus, ſiue ſtatuta, ſiue ex Dei bonitate coniecturali, plus in hac ſententia, quam Maſſilienſes docuiſſe certum mihi eſt. Neque enim infallibilitas hæc ab ipſis alicubi aſſerta legitur, aut notatur, adhuc ab iis, qui ſcrupulatim eorum doctrinam notarunt: neque id ipſorum intererat, ſolum enim ex parte prædeſtinatorum apponi, offerrique Deo occaſionem, diſpoſitionem & anſulam, vt eos præ reprobis, qui eam non offerebant, ſine acceptione perſonarum ad fidem, & iuſtificationem eligeret ac prædeſtinaret, non autem exactiuam, occaſionem, & diſpoſitionem, vt quicunque illam offerenti, gratia fides, &c. adeo, de lege adhuc ordinaria, deberentur; ſed Deo quoſdam ex eis, relictis aliis, eligere integrum prorſus foret. Fateor tamen contra infallibilitatem hanc nihil hactenus ab Eccleſia eſſe definitum.

2. Cæterum infallibilitas hæc conſequutionis gratiæ auxiliantis, & initij prædeſtinationis ex operibus honeſtis moralibus ex facultate ſolius naturæ ortis iuxta præfatorum Theologorum ſententiam, ſiue vlterioris gratiæ, ſi illam neceſſario auxilium gratiæ præuenientis requirant: nullo fundamento: immo contra valida fundamenta affirmari, & ſine fundamento ex ſcriptura aſſeri, aliqui ex nuper citatis, atque ex aliis relatis cert. 1. merito obſeruarunt, idque pie credendum proinde dixerunt: nullus enim ſcripturæ locus pro ea infallibilitate gratiæ ſiue primæ, operibus ex facultate ſola naturæ factis cum ſpecie adhuc probabilitatis adducetur: ſed neque pro infallibilitate gratiæ vlterioris ob eiuſmodi opera ex gratiæ præuenientis auxilio exhibita. Nullibi enim auxilium gratiæ, & iuſtificatio ſubſequens, aut perſeuerantia eiuſmodi operibus, immo, nec longe perfectioribus ſupernaturalibus promittitur, non ſolum inſtantaneè, & per tempus breue, ſed diuturne etiam & per longum tempus exhibitis. Alioqui fruſtra, & illuſoriè ab Apoſtolo diceretur omnibus ad Philipp. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Cum veterani, & ſtudioſiſſimi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtudioſiſſimi virtutum milites fruſtra timerent : plures præſertim, qui eo perfectionis peruenerunt, & cum eis tentationum de grauibus congreſſum Dæmones timeant: etſi enim verum ſit regularite,& relatione ſecluſa, vtrum odio an amore dignus ſit neminem ſcire, ex vitæ tamen longæ accurato perfectionis ſtudio, & exercitio conſtante, & in dies creſcentę affectuum & inclinationum inordinatarum, muſſitante quidem, ſubiectione, aliiſque multis etſi non euidenter ac certo phyſice, prudenti tamen & morali certitudine quandoque de ſuo ſtatu gratiæ, ac in Deum ſtudioſo ac diuturno obſequio iudicare affirmatiuè plures poterunt: vt vix phyſicè, & ne vix quidem moraliter de oppoſito dubitandi locus eis remaneat: iis ſiquidem indiciis, & fundamentis aliis ſæpè, præſertim confeſſionis & ſpiritus Sanctorum virorum Patres de eorum ſtatu gratiæ, vitæ, ac perfectionis ſanctimonia prudentiſſimum, ac minimè dubium moraliter cum obiectiuè tum ſubiectiuè iudicium efformant: quod proinde pluribus multò in ſeipſis experimento deprehenſis indiciis de ſeipſis perfectiſſimi illi virtutis veterani poterunt efformare; ſi tamen diuturno virtutum exercitio etiam ex gratia, ita in ſe deprehenſo vlteriora gratiæ auxilia lege aliqua, vel ex promiſſione, vel arbitrario à Deo ſtatuta, vel ex Dei bonitate morali aliqua certitudine deducta debeantur; ecquid timoris, nedum tremoris, ad quem omnes ſerio Apoſtolus hortatur cordate in eis de ſalutis amiſſione, perſeuerantiæ defectu & damnatione eſſe in illis poteſt. Confirmatur pluribus Eccleſiaſticis, & fide dignis hiſtoriis. Ex quibus conſtat plures diu Sanctos, atq; in virtutis,& perfectionis omnis ſtudio verſatiſſimos, & præſtantiſſimos viros auxiliis, quibus perſeuerarent, de facto deſtitutos fuiſſe damnatos: quare de eo omnes etiam Sanctiſſimos, non timidos ſolum ſed tremulos eſſe debere merito Apoſtolus ſua illa generali adhortatione teſtatur; cuius veritati infallibilitas auxiliantis gratiæ ex diuturno virtutis exercitio contradiceret. Confirmatur id ipſum. Secundo: quia infallibilitatis eius fundamentum ex ſcriptura, ad quod eius aſſertores recurrunt, eſt illud: *vult omnes homines ſaluos fieri*: ex hoc vero, non hæc, ſed alia longe diuerſa infallibilitas aſſiſtentiæ gratiæ Dei bene operantibus deducitur: quam mox in Theologici illius proloquij ſenſu vero & Catholico ſtatim ſubiiciendo, aperiemus. Denique ex bonitate Dei pie adhuc eam infallibilitatem certo credere, immò nec prudenter, maiori probabilitate, quam oppoſitum poſſums coniectari: cum ea Deum ad ipſius exercitium non ita ſui, vel phyſicè, vel moraliter impotem rapiat, vt non illud, ſicuti & iuſtitiæ, & attributorum reliquorum erga creaturas exercitium diuino arbitrio, etiam addito ſalutis omnium deſiderio ardenti, integrum prorſus non ſit: vt patet in plurium finali impœnitentia, & non paucorum, vt diximus diu multumque Sanctorum finali, quo vitam claudunt peccato.

3. Si ergò, nec bene operantibus ex facultate naturę ſola (quod fieri vt diximus nequit) nec bene diu etiam operantibus ex Dei gratia debetur lege vlla gratia vlterior auxilians, ac ſubinde neque infallibiliter obueniet citius, quã deficiet, ecquis proloquij illius: *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*: quod axioma Theologicum eſſe initio quæſt. ſuppoſuimus, verus legitimus & Catholicus ſenſus erit: Omnes ſiquidem videmur excluſiſſe. ſed certe vnus adhuc non verus,& Theologicus ſolum, ſed, & dogmaticus ſenſus eius proloquij,& à reliquis præter hactenus impugnatos ſcholaſticos, etſi non ab eorum aliquot explicatus, ſed attactus,& ſuppoſitus reliquus eſt. Dico igitur tandem: ſenſus verus, Theologicus & dogmaticus eius axiomatis eſt: nullum adultum rationis vſum habentem auxilio gratiæ ſufficienti ad bene operandum deſtitui: quare,& facienti quod penes ipſum eſt gratiam Dei minime abeſſe quæ vt abſolute poſſit eius potentiam abſolutam in actu etiam primo complens neceſſario præcedit. Axioma illud hunc ſenſum capere, & de ſe patet, & amplius ex ſubiicienda mox obiectione vnica à ratione clarebit. Probatur eius ſenſus veritas & germanitas primo à cæterorum ſenſum pręmiſſa excluſione & falſitate demonſtrata: aſt nullus alius eius axiomatis ſenſus verus eſt eſſeve poteſt: ergo hic admitti vt germanus eius ſenſus debet, ni axioma ipſũ rejiciatur. Probatur 2. quia, vt axioma illud à Scholaſticis ex ſcriptura probetur recurritur, vt dixi, demum ad illud: *Vult omnes homines ſalvos fieri,& ad agnitionem veritatis venire*. Inde autem minimè infertur bene antea cto operantibus naturæ viribus, imò neq; ex gratiæ auxilio, vlteriora auxilia Deum largiturum, ſed nemini auxiliis gratiæ ſuæ defuturum vt bene operentur ad ſalutem ac demum ſuis operibus conſequantur. Ex deſiderio enim ſalutis ſerio ſolum infertur legitimè mediorum ſufficientium, vt illam aſſequantur appoſitio. Objicies tamen: proloquium illud eſſe de facientibus, quod in ſe eſt, ſenſu vero præfato etiã ad non facientibus, quod in ſe eſt extendi, nec eſſe de facientibus ſpeciale: nam gratia Dei præueniri vt bene operari abſolutè,& complete poſſint, non operantibus etiam conuenit per nos. Reſpondeo eo etiam tendere proloquij illius ſenſum: nempe neminem ſui mali vſus cauſam in Deum, ex parte ſua neceſſariis ad rectum vſum & ſalutem deficiat, ſui poſſe ſpecie vlla probabilitatis querule refundere, ſed in ſeipſum ſolum,&, quod quantum in ſe eſt non faciat. Siquidem ſufficiente gratia anticipatò à Deo præuenti per id, quod in ipſis deinceps eſt, abutuntur, qua alij faciendo quod in ſe eſt vtuntur bene: quaſi proloquio illo ex ſacris dogmatibus æquiualenter contra prauos reprobos de Dei bonitate,& beneficẽtia, imò,& in ipſos inuida malignitate, querulos Theologia clamet: *facite, quod in vobis eſt,& Dei gratiam, qua benigne, beneficeque præuenti eſtis*, nec diſpicitis, illi cooperantes, vt poteſtis, cognoſcetis. Ex quibus, & doctrina ſcholæ noſtræ Thomiſticæ Ieſuanæ de efficacia auxiliorum extrinſecus à futuritione conſenſus noſtri conditionata ſpeciale aliquid pro prædeſtinatis eo proloquio dicetur: quod in gratia Dei abutentes reprobos non cadat, etſi æque inde eorum abuſus reprehendatur. Nimirum gratiam efficacẽ, quia efficax eſt, bene vtentibus prædeſtinatis datam, qua ratione in ratione gratię,& beneficij eſt gratia maior ab ipſorũ bono vſu abſoluto aliquo modo pendere, eiuſq; efficaciæ,& maioris gratiæ defectum pendere ſenſu eod. à reproborum prauo vſu abſoluto: quatenus futuritio conditionata conſenſus, à qua auxilij prædeſtinati efficacia deſumitur obiectiua dependentia à conſenſu abſoluto libero prædeſtinati, etiã cum auxilium abſolute collatũ à Deo eſt, dependet; ſicuti & efficaciæ negatio ex conditionata negatione conſenſus deſumpta à libera abſoluta negatione ead. conſenſus dependet ſimili dependentia obiectiua: qua materiam auxilij prædeſtinationi aptam prædeſtinatus, ineptam vero reprobus apponit, omni ad vtrum, vel alterum à Deo donandum merito,& inductione ſecluſa, vt hoc,& priori tomo de Deo vno non ſemel explicuimus.

4. Et hunc ſane proloquij illius ſenſum legitimum & vnicum eſſe (etſi non adeo explicite) vel attigerunt, vel ſuppoſuerunt DD. alij ab impugnatis omnes: quia reliquos omnes ſenſus aliorum impugnarunt,& ex neceſſitate gratiæ pręuenientis ad bene ſimpliciter & abſolute quoviſq; gradu conducenter ad ſalutem operandum videtur certo deduci. Noſtri vero DD. in primis propinquius, clariuſq; inſinuarunt: & quamvis memorati aliquot gratiam Dei auxiliantem ad virtutum moralium opera exercenda neceſſariam, non reputent, & probabilem etiam aliquorum externorum ſenſum quo tamen meritum omnium eorũ operum ad gratiam recipiendam excludatur, exiſtiment. Aſt hunc à nobis explicatum in communibus ſcholæ noſtræ principiis,& ex ſententia propria admittunt. De duobus tantum Doctoribus noſtris, Molina ſcilicet,& Card. Tolet. an proloquium illud de operibus ex facultate naturæ ex propria ſententia intellexerint quæſtionẽ eſſe nõnulli voluerunt: & Card. Toleto queſtioni occaſionem dedere verba illa ex commentario ipſius in ep. ad Rom. c. 8. annot. 31. verſ. fin. *quamvis aliquam cauſam eſſe affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem,& gratiam vocare voluerit, non autem illos, non propterea tolli rationem gratiæ*: ob quæ de duobus à nonnullis accuſare Tolet. Primum: quod gratiã Dei ob pure naturalia opera bona dari à Deo cum Maſſilienſib. admittat, Secundum: quod rationi ex Paulo, Patribuſque, & Conciliis contra Maſſilienſes præcipuè contradicat, cenſeatq; rationem meriti congrui ex nobis abſque Dei gratia Deo exhibiti, quod verbis illis, *propter quam* aſſeruit, rationi gratiæ ob illud præſtitæ non obeſſe vt Andreas de Vega ſupra aſſeruit, qui propterea apud Theologos male audit, maleque cenſuris accipitur, verum oppoſitio prima verbis ipſis Toleti aduerſatur: nihil enim ibi ex propria ſententia abſolute aſſerit, ſed ſolum hypotheſim ponit, vt de alio ex eius ſuppoſitione iudicium abſolutum ferat: ait



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enim *quamvis affirmemus* : quæ potius probant ab ipſo ex propria ſententia de oppoſito præmiſſe quod ſolum in ea hyphoſi ponit, abſolute negari, nec alium ſenſum , quam faciendi quod in ſe eſt gratiæ neceſſario ipſum , bona quævis opera prȩuenturæ cooperando ab ipſo admitti. Secundum vero abſque fundamento ipſi imponitur : cum ſolum in hypotheſi illa *aliquam cauſam* gratiæ qualem qualem ſcilicet ponat. & pure materialem vt phyſica manus prorectio ad pecuniam daturo : in qua nec impetrationis nec meriti vllius ratio ad donandam pecuniam attendatur : & tamen , quia donari in eius manum pecunia nequit, quin eam recepturus extendat, porrigatque verum eſt dari ei ab alio pecuniam quoniam manum porrigit , quod eſt ſubiectum ſtatim à Toleto exemplum : quare illud *propter* non cauſam motiuam , adhuc congruè, vt Vega aiebat , ſed hanc pure materialem denotat : ac proinde in huius cauſa. & crimine Toletus non eſt,cum aſſignatam à ſe , adeò diuerſam operum ex viribus naturȩ cauſalitatem ad gratiam,quamvis admitteretur,rationi gratiæ non aduerſaturam, longè diuerſum ac veroſimile ſit.

5. Molinam etiam noſtrum Semipelagiani erroris inſimulauerunt primo Thomiſtæ,ex eo, quod prædeterminationes phyſicas Dei præuias ad recte operandum valide rejecerit. Eorum tamen impugnationes debiles ſunt , & quæ,cum à noſtro Leſſio de gratia efficaci c.10.tum à nobis tom.1.de Deo vno controu.2. de ſcient.& 3.de decreto concurrendi ampliorem etiam , quam mereantur ſolutionem receperunt : verum ex ſpecialibus quæ Molina idem ſcripſit in concordia ad qu.14.art.13.d.10.11. & 14. arreptis noſtri Vaſquez contra Theologos aliquot antiquos certam.2.confutatos argumentis , Zumel citatis ſupra locis,præſertim tom.1.opuſc.ſect.2.à concluſ.4.ad 7.à pag.290. & ſolut argumentor.& tom.3. à pag.167. circa concluſionem 11 & ſequentibus illum ad præſens aptius accuſat : ſed quibus antiquos plures , ac ſeipſum , iuxtà ſuprà eius doctrinam memoratam , accuſare citius poſſet: cum apertius eorum omnium doctrina , & inexcuſabilius Maſſilianiſmum ſonet. Molinæ vero effata, etſi minus penetrantibus oculis , maligniſque & inuidis auribus adſonare eiuſmodi errori videantur , ipſum verò ſinceris , & attentis oculis legentibus conſtans eius vbique mens , & contra Semipelagianiſmum ſenſus apparebit ; probatur ex eius epiſtola anno 1594. in noſtro Collegio Salmantino adſeruata, ad Patrem Antonium de Padilla Scholaſticum ibi Profeſſorem noſtrum de eius hac in re mente dubitantem : ex qua occulatus teſtis Herize noſter d.27. capite ſecundo , hæc ad verbum tranſcripſit. *Digo que nobuſque V. R. prauio facere nos totum , quod in nobis eſt, & ſubſequi gratiam præuenientem : que eſſo es doctrina de Pelagianos , ò Semipelagianos ? y noſe colige talde mis obras , ni demis papeles , ni reſpuetas , antes todo lo contrario.* Ex quibus conſtat ipſum omnem præcedentiam operum noſtrorum præuiè ad Dei gratiam præuenientem omnem conſtanter negaſſe , ac proinde , tam remotam, quam proximam,tam meritiuam,quàm diſpoſitiuam.ſiue poſitiue ſiue negatiue . & ſolum per impedimenti , & indignitatis peccatorum, in quæ incideremus , ni bene operaremur , atque vteremur arbitrio. Quo poſito verba ipſius quæ æquiuocatione aliorum magis patent recitanda ſunt , vt appareat an ſenſum , quem eorum author profeſſus eſt legitime capiant : diſputatione 10. citat. hæc habet. *Quoties ex noſtris viribus naturalibus conamur facere , quod in nobis eſt , præſto nobis eſſe auxilia gratiæ , ea vt oportet ad ſalutem efficiamus* : Inferiuſcule. *Sicut Deus præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio vt naturaliter velit , aut nolit, prout placuerit : ita præſto eſt illi per auxilium gratiæ ſufficiens , vt quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis , quæ ad iuſtificationem ſpectant , illud exequatur prout ad ſalutem oportet* : in conantibus ad fidem , & pænitentiam exemplum ſubiungit : ſimile habet d.11. & d.14.numero 5. longe à med. *Chriſtus nobis promeruit auxilia non ſolum , quæ conantibus nobis ex noſtris naturalibus efficere , quod in nobis eſt , præſto eſſent ac præuenirent , vt ſic illo eodem conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam ; ſed etiam quibus ſæpe excitaremur omnino* : & d.9. §. *Patet tertio* , ait : *licet Deus non vocet ad fidem propter merita aliqua eius , qui vocatur , immo ſæpe eos etiam miſericorditer vocet , qui pertinaciter obſiſtunt : nihilominus magis indignus , vt ſupernaturaliter adiuuetur & vocetur is eſt, qui ſiniſtra intentione quam qui paratus obedire veritati ad audiendum accedit.* Hæc ſane ſpeciem præcedentiæ operum , & conatuum noſtrorum ex naturalibus, propriiſque viribus reſpectu gratiæ , & vocationis ſupernaturalis , vel maxime , apud noſtrum Molinam præ ſe ferunt.

6. Et ea quidem ſpecie Leſſius noſter Doctiſſimus cum primis Molinæ diſcipulus citato capite 10. deceptus præcedentiam eam à Molina cum antiquis Scholaſticis admiſſam fatetur ; neque aliter , quam illos , excuſandum putat : quod ſcilicet ante accuratum Maſſilienſis erroris examen , & confutationem à noſtro Vaſquez, cum contra Maſſilienſes , tum contra præfatos Scholaſticos illi omnes bona fide , & per inaduertentiam ſcripſerint : cui & magnus Magiſter meus Daza conceſſit manuſcripto de prædeſtinatione d. citata , §. 2. Ruiz etiam noſter d. 21. citata ſectione 6. à numero 19. ad 27. iuxta ſuam doctrinam de negatiua diſpoſitione per amotionem impedimenti , & indignitatis peccatorum, quam peccantes , maléque vtentes arbitrij viribus gratiæ ſupernaturali exhibendæ à Deo , ab ipſiſque recipiendæ ſuis peccatis apponerent , à ſeque bene operantes , atque naturali facultate arbitrij vtentes in bonum, remouent , à Semipelagianiſmo vindicat Molinam: cui explicationi poſtremum Molinæ teſtimonium locum facere videtur , non incongruum. Verum neque eo ſenſu, eum errorem omniño vitari contra eundem Ruiz oſtendimus certamine ſecundo , à numero 9. neque eum ſenſum mentis ſuæ explicatione proximè recitata Molina ſibi imputari patietur : cum præcedentiam omnem noſtrorum operum è ſola arbitrij facultate reſpectu gratiæ ſemper , & vbivis ſcriptorum ſuorum reiectam , negatamque teſtetur Herize eiuſmodi explicationem præ oculis habens citato loco aliter Molinæ teſtimonia interpretatur : vt , ſcilicet , cum quem ex puris naturalibus actum naturalem fidei, vel pœnitentiæ , ni gratia Dei præueniretur,gratia ipſius ſupernaturali Deus præuenit, vt ſupernaturalis , atque vt ad iuſtitiam,& ſalutem oportet euadat.Hoc videntur ſonare teſtimonia duo prima et d.10 & 14.recitata.Addit autem ipſe ſicuti,& Ruiz proxime,id totum ob opera ita ex viribus naturæ,vel præſtita, vel fore præuiſa,ni Dei gratia præueniretur ex meritis ſalis Chriſti,ob quæ gratia ſic conantibus promiſſa eſt,in Molinæ ſenſu euenire , quin conatus illi noſtri naturales aliquid ad Deum mouendum conferant de ſuo. Recurſus hic communis vtrique fuit à nobis diſiectus cert.2.n.10. Quod autem ſpeciale Herize aiebat facile rejicitur. Cum enim Molin.citatis teſtimoniis nullus actus fidei , aut pœnitentiæ pure naturalis,ac ſine gratia Dei ſe ingerentis ex parte actus primi. vt ſupernaturalis aliquo ſaltem modo, &,vt oportet ad ſalutem euadat, abſolute ſit futurus, nec prȩuideri à Deo poteſt,vt ſe ad efficientiã ipſius facultatẽ arbitrij prȩueniendo , & cooperando gratia ſua ingerat: quod ſi gratiam adiunctam actui mere naturali,quem abſolute ex parte noſtri ſupponit , modum aliquem realiter modaliter diuerſum cum volũtate creata adiungere dicas, iam gratiam , eiuſque effectum in ſenſu Molinæ ſubſequi opera ex facultate ſola arbitrij ( quo velis ex impugnatis modo) fateris neceſſe eſt , atque expreſſæ ipſius declarationis contradices.

7. Ea ergo explicatio mentis ſuæ cum recitatis eius teſtimoniis , aduerſum quid ſonantibus , recte faciliméque cohæret in ſenſu vnico vero , & Theologico, quem iuxta ipſius noſtrȩque Thomiſticæ Ieſuanæ ſcholæ doctrinam dedimus : quod,ſcilicet, nullum opus abſolute honeſtum , & ſimpliciter bonum , abſque gratia Dei per Chriſtum de ſe indifferente , nec ad vnum determinante fieri poſſe,ac proinde,neque à Deo conatus arbitrij noſtri naturalis in bonum in ſtatu vllo,ſiue abſoluto,ſiue conditionato poſſe videri. Viſis autem ſubinde conatibus abſolute gratiam Dei ad ipſos abſolute apponendis pro poſteriori adiungi non poſſe,cum adiuncta abſolute pro priori ad ipſorum elicientiã ſupponatur:ſolumq;ex ſcientia ſimplicis intelligentiȩ prȩuiſis conatibus ex gratia ſufficiente poſſibilib.Deum ſe gratia ſufficiente adiungere poſſe arbitrij noſtri naturali facultati vt abſolute poſſimus: prȩuiſis autẽ conditionate ſub hypotheſi gratiæ ſuæ ſumus,vt abſolute, & de facto bonos eos conatus habeamus illa ipſa

gratia

gratia ſe Deum adiungere: & hanc eſſe Molinæ noſtri, mentem cum ex eius principiis de concordia, tum ex meritis in re præſente ſuæ declaratione præmiſſa, tum denique ex teſtimoniis ipſis, quæ reputantur à nonnullis aduerſa, conſtat aperte. Primum ex d.10. etenim ſolum docet præſto nobis conantibus ex parte noſtra Dei auxilia adeſſe vt operemur ad ſalutem oportune, ſeu quod idem eſt conemur: quibus præfatus ſenſus non ſolum aduerſus non eſt, ſed facile continetur, & exprimitur. Præſertim adiuncto teſtimonio, ſecundo diſputationis eiuſdem, quod primi illius explicatio à Molina ſubiungitur: ſcilicet, eodem modo Deum nos præuenire gratia ſua ad bonam moraliter, & honeſtam operationem efficiendam, atque ad phyſicas quaſvis operationes volentes phyſice operari voluntate concurrendi, qua ſuam nobis ex parte actus primi antecedenter ad abſolutam operationem, quam ex nobis ſolum phyſicè abſolutè producere nequimus, ex parte actus primi adiungit voluntati noſtræ, vt pro libito ipſa vtentes phyſicè abſolutè operemur, ſed vero, quid aliud teſtimonio 3. ex d.14. (vbi hanc gratiæ auxiliationem meritis Chriſti iure attribuit) contineri videatur, ex eo, quod dicat, ſemper præſto Dei gratiam nobis conantibus in bonum adeſſe, non autem qua ſemper, ſed *ſæpe* ſolum *excitemur omnino*: quibus quandoque ad conatus noſtros bonos Dei gratia excitare nos ac præueniri negaſſe videtur, ac proinde admittere abſque gratia Dei excitante, & præueniente poſſe nos conatus abſolutos in bonum habere atque ad gratiam ſupernaturalem diſponi.

8. Aduerte Molinam duplex gratiæ ſupernaturalis genus, ad duplicis etiam generis actus ſupernaturales cum Ariminenſi admiſiſſe (quæ fuſius poſtea Vaſquez noſter citatis locis ex prima parte, & 1. 2. ex inſtituto explicuit, conſtituit atque multa eruditione, & profunditate fundauit, vt nos tomo primo de ente ſupernaturali, clarius adhuc, ex eius mente, & eruditione fundauimus) nempe gratiæ, & operum ſupernaturalium, aliorum quidem ſupernaturalium quoad modum ſolum, cuiuſmodi, & actus virtutum moralium, & gratia Dei ad ipſos prærequiſita eſt; aliorum verò etiam, quoad ſubſtantiam ſupernaturalium vt actus fidei, ſpei, & charitatis perfectæ, & auxilia gratiæ ad eos prærequiſita. Ait ergo conatus noſtros in bonum bonos moraliter, ex gratia Dei ſupernaturali, quoad modum neceſſario, iuxta eius doctrinam, & mentis ſuæ explicationem præfatam oriundos, nonnunquam ad gratiam: ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalem ad ſupernaturales actus ſecundum ſubſtantiam, diſponere, ac proinde, & eis gratiam hanc ſupernaturalem ab arbitrio noſtro præueniri, tamet, ſicut gratia omnis ſuos, ita & ſupernaturalis hæc ſuos actus præueniat noſtramque ad ipſos excitet voluntatem: Sed tamen cum ex eorum conatuum præuentione, & diſpoſitione gratia ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis ad ſuos ſupernaturales actus confertur, tametſi reſpectu illorum excitans, & præueniens abſolute ſit; aſt reſpectu arbitrij abſolutè non omninò excitans, & præueniens eſt cum ad illam adeo conatibus illis, ex gratia alia etiam ortis, obtinendam prius excitata præuentaque fuerit, atque inuigilauerit. Cum autem nullis honeſtis conatibus noſtris præcedentibus gratia illa ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ad fidem verbi gratia, nobis à Deo (vt ſæpe è Chriſti meritis euenit) donatur: tunc quidem arbitrium noſtrum abſolutè, & omnino, nec ſolum reſpectu actus fidei, à Dei gratia præuenitur, & excitatur: & hæc genuina Molinæ noſtri mens eſt, atque germana interpretatio: vt autem videas quanto noſtrorum conſenſu ſenſus hic axiomatis receptus ſit, lege noſtros Valentiam 1.2. quæſt.4. punct.2. circa finem, quæſt.6. punct.4. tit. *gratiam non cadere ſub merito*, §. *Porro* & ſeq. 2. 2. d.1. punct.1. argum.5. & ſolut. punct.4. ad 2. obiect. Bellarm.6. de grat. & lib. arbitr. c.6. ad 3 obiect. conſone addicta lib.2 c.8. ad 3. argum Vaſquez citatis locis, poſt quem omnes. Soar. 1. p. lib.2. de cauſa prædeſtinationis c.6. maxime c.7. 9. & 18. lib.3. de auxil. c.2. fuſius lib. de grat. locis fere ſupra citatis, Meratius, & Alarcon. de Prædeſt. Arrubal. 1. p. d.75. Herize ſupra, Granados infra citandus, Faſol. 1. p. quæſt.23 art.5. num.2. & 3. commentarij. Arriaga tom.1. d.37. ſect.1. à §. *dicendum*. Ioannes Præpoſitus 1. p. quæſt.23. art.8. dub.3. num.30. §. *Dico opera naturalia ipſius prædeſtinati*, ac deinceps, atque vno verbo reliqui; tametſi, vt dixi, qui opera virtutum moralium gratia Dei auxiliante non indigere putant, iſthac illa antiquorum aliquot impugnatorum ſenſum defendi etiam poſſe, non multo operæ pretio contendant.

## QVÆSTIO IV.

### *Poſſitne dari operibus ex Dei gratia ortis cauſa meritoria prædeſtinationis propriæ?*

DIximus hactenus de cauſa meritiua, aut moraliter diſpoſitiua prædeſtinationis ex operibus ipſius prædeſtinati pure naturalibus, eamq; dari nullatenus poſſe definiuimus: vnde verò ita exploratum eſt ſimilibus operibus alterius à prædeſtinato, & alienis prædeſtinationis eius cauſam meritiuam, aut diſpoſitiuam dari non poſſe, vt quæſt. indignum à ſcholaſticis meritò iudicetur. Id enim operum puræ naturę inſufficientiam vtrique quæſtioni ad meritum ac diſpoſitionem ad gratiam ſupernaturalem habet communem. De operibus vero ex gratia Dei ortis (de quibus eſt quæſtio præſens) an cauſæ meritoriæ prędeſtinationis eſſe poſſint? duplex diſputatio eſt valde diuerſa: an operibus propriis prædeſtinati cauſa meritoria dari poſſit? an ſaltem alienis? atque ex diuerſis principiis dirimenda. De prima ergo agemus quæſtione præſente, de alienis vero meritis q.5.

---

## CERTAMEN I.

### *Opera, ex gratia etiam Dei facta, prædeſtinationis propriæ cauſa meritoria eſſe nullatenus poſſunt.*

1. PRobatur in primis concluſio argumento Patrum (tantæ legitimatis & enérgiæ, vt à nemine Theologorum in dubium vocetur) ex 1. ad Epheſ. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti*, & ad Rom. 8. *vocauit nos vocatione ſua ſancta vt eſſemus ſancti.* Vnde Hieron. ad Epheſ. 1. Auguſt. de corrept. & grat. c.9. & 1. de prædeſt. c.18. fine de dono perſeuerant. c.13. & 14. ac epiſt.17 & 10. item, q.2. ad Simplician. atque alij Patres frequentiſſimè inferunt: *ergo non, quia futuri eramus ſancti.* Similem illationem fecerunt Concil. Arauſican. 1. Can.28. Arauſic. 2. Can.2. ex 1. ad Timot. iuxta ipſorum & aliorum Patrum lectionem. *Miſericordiam conſecutus ſum, vt ſim fidelis.* Ex quo ſic intulere: *ergo non, qui futurus eram fidelis.* Vnde ad rem noſtram illatione accomodata arguo ſic. Deus prædeſtinauit, elegit, vocatque prædeſtinatos, vt fideliter piè, ſanctéque ex gratia ſua viuant, eiſque vitæ ſuæ meritis æternam ſalutem, atque æternam vitam conſequantur, vt fidei dogma eſt: ergo non prædeſtinauit elegit vocatve eos, quia fideliter, piè ſanctéque erant ipſi victuri ſiquid Patrum, & Conciliorum valet illatio: vndecunque fidelis illa, pia, & ſancta vita à prædeſtinatis habeatur. Poſtremum hoc addidi, ne quiſpiam putet conſequentiam hanc Conciliorum, & Patrum contra Pelagiana, ac Semipelagiana merita pure naturalia, quæ ea illatione confutabant, ſolummodo tenere, non autem contra merita ex Dei gratia profecta: etenim conſequentia hæc, non ratione materiæ, ſed formæ tenet: vt enim ſapienter animaduertit S. Thom. 3. part. quæſt.2. artic.11. & quæſt.29. de verit. articulo 6. particula *vt* cauſam finalem



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

denotat; particula vero *quia* cauſam deſignat efficientem, ad quam intentionali ſua motione, & efficacitate meritoria cauſa ſpectat, & quæ abſque abſoluta ſui exiſtentia cauſare nequit, vt cunctis Philoſophis, & Theologis eſt notum: cum autem cauſa finalis, ac proprie finaliter mouens affectum erga ipſam, *vt ſit*, debeat ad effectum ſuæ exiſtentiæ ad quem, *vt ſit*, mouet, neque abſolutè eſſe, neque vt abſolute exiſtens voluntati proponi ad effectum illum deſiderij, vt abſolute ſit, excitandum (ecquis enim deſideret, vt aliquid ſit, quod abſolute eſt, & eſſe iam anteacto prænouit) immo vero poſitiue nondum exiſtens proponi voluntati debet, vt ad abſolutè exiſtentiæ ſuæ affectum, & deſiderium finaliter moueat: cum autem, vt meritoriè, & actiuè intentionaliter moueat fidelis ſua, & ſancta vita, vt particula illa *quia* denotatur, abſolutè exiſtens ſupponi, ac prænoſci debeat, nihilque abſolute exiſtens, ac non exiſtens eſſe, ac proponi ſimul ſine contradictione poſſit, implicat plane aliquid (quidquid illud ſit) cauſare, ac mouere finaliter voluntatem vt in ſe abſolute ſit, ac ſimul eandem meritoriè ſeu actiue intentionaliter mouere, quia eſt: quare ratione formæ nec ſolum materiæ argumentum Patrum & Conciliorum, ac ſubinde & hoc noſtrum intentum concludit: imò ni eo vis conſequentię Concilior. & Patrum deducatur vt mouere finaliter, & vt ſit, ac ſimul meritoriè & *quia eſt* idem ipſum ob deprehenſam repugnantiam nequeat nullam aliunde rationem materiæ de qua agebant vim eorum conſequentia haberet, vt patebit cuivis.

2. Probatur vlterius argumento eorundem Patrum petito ex eiuſdem Pauli verbis ad Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*, (nimirum Rebecæ Geneſ. 25. num. 23.) *quia maior* (Eſaü reproborum figura) *ſeruiet minori* (Iocobo prædeſtinatorum typo) *ſicut ſcriptum eſt* (Malach. 1.) *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, Vbi, etſi, quæ in lege veteri fiebant; non autem ex fide, & gratia per Chriſtum opera à merito prædeſtinationis, & electionis ad ſalutem, fidemque, & iuſtitiam Paulus excludat: ac proinde eo teſtimonio Patres contra Pelagianos, ac Semipelagianos vtantur, ſunt autem duo in eo teſtimonio, quæ omne meritum etiam ex gratia prædeſtinati ad ſuam prædeſtinationem excludunt. Primum *cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali*, quibus omne meritum vniuerſim ad electionem Iacobi præ Eſaü in huius dominium, & dilectionem Dei erga ipſum ſpecialem, demeritumque omne Eſaü ad deſtinationem ſeruituti, & Dei odium (quo nomine eius, & pręſcitorum quos præfigurabat reprobatio ſignificata iuxta Apoſtolum eſt, ſicut nomine electionis, & dilectionis Dei erga Iacob, figulatorum in illo Sanctorum prædeſtinatio) à Paulo ſecluditur. Cum autem negato genere de aliquo ſpecies eius negatione ipſa generis omnes negentur, recte ex eis locis Spiritus Sanctus per Apoſtolum merita legis, & naturæ, ac non ex fide, & gratia Chriſti præcedere prædeſtinationi negat, atque ex eo loco Patres, & Concilia Pelagianos, ac Semipelagianos, qui merita naturæ prædeſtinationi, vel in totum, vel ex parte prætendebant obtruncarunt; ſed tamen cum merita etiam ex gratia Chriſti ſub genere illo meriti ad prædeſtinationem vniuerſim negato, altera ſpecies ſit, & contineatur: æque, ſi prædeſtinationi Sanctorum prætendantur eis locis à Paulo memoratis, & explicatis, eiuſque teſtimonio retundentur. Secundum in eius teſtimonij parentheſi illa continetur: *vt ſecundum electionem propoſitum Dei* (id eſt prædeſtinatio diuina iuxta interpretes Patres & Theologos omnes) *maneret*: in ea vero rationem independentiæ omnimodæ prædeſtinationis à merito quovis, & vndecunque habito Apoſtolus dedit: quia nimirum Dei prædeſtinatio ad ſalutem ex mera Dei electione gratuita, & miſericordi vnius præ alio, quem non prædeſtinat, omnino eſt: id quod toto deinceps capite probat.

3. Primo ex illo Dei ad Moyſen Exod. 33. n. 19. *Miſerebor, cuius miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor: igitur* (infert Paulus) *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: cum tamen voluntas Dei remuneratoria, ac meritis noſtris excitata *currentis* & *volentis* eſſe agnoſcatur, ab eodem 2. ad Timoth. 4. n. 7. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: ideo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*. Proinde ſcelera, & impœnitentiam ſuam in Dei non prædeſtinantis, ſed reprobantis voluntatem his verbis propoſitæ, *quid adhuc quæritur?* de nobis Deus, *voluntati enim eius quis reſiſtit?* reprobi videantur poſſe refundere. Huic inquam obiectioni, quoad illationem reproborum in terminis non reſpondet Paulus: quia præſentis ſui inſtituti non erat, ſed à capite, & radice eam retundit quantum ſatis præſenti ſuo inſtituto erat, vt fere, ac bene noſter Cornelius à lapide: ſic enim Paulus ſtatim *ô homo* Græca lectio: *atqui homo* cuius emphaſis: *& tu cum homo ſis: quis es qui reſpondeas Deo?* ac ſi Hiſpane diceret: *y bien, pues ſiendo vos hombre os poneys a dimes, y diretes con Dios acerca de lo que el quiere, y con ſu infinita ſabiduria y bondad diſpone?* Ita Gregor. 9. Moral. c. 8. *Reſpondere Deo non poſſe conuincitur, qui homo nominatur: qui per hoc, quod de humo ſumptus eſt, iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt*. Huc igitur ratione, quod contra Dei voluntatem nec opponendum aliquid ab homunculis ſit, nec de ea ſtatio à Deo vndecunque quærenda generatim, & à capite ſatisfacit, vt ad inſtitutum de electione, & prædeſtinatione ſat erat: idque luti, & figuli Sapient. 15. num. 7. & Iſai. 45. num. 9. & Ierem. 18. n. 6 adducto exemplo ſtatuit. *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? quod ſi Deus volens oſtendere*, &c. vbi ſe pro arbitrij Dei æquitate, & ratione in eligendis, ac prædeſtinandis ex eadem hominum maſſa (cuius abſolutus, ſupremuſque Dominus eſt, multo magis, quam luti figulus Dominus ſit) aliquibus aliis relictis, & permiſſiue induratis, reprobatiſque à fide iuſtitia, & ſalute, reſpondere in terminis vt aiunt voluiſſe ſatis oſtendit, cum exemplo luti, mere paſſiuè ſe habentis reſpectu figuli, eiuſque de ipſo formatiuè in hoc vel illud vaſis genus voluntatis vtatur: vt inde nihil amplius prædeſtinatos, & electos ad ſuam prædeſtinationem agere oſtendat, quam ſi inanime, & mere paſſiuum quid reſpectu ipſos eligentis, & prædeſtinationis ſuæ forent: quare eam totam Dei miſericordi gratuitæque voluntati eſſe tribuendam (quod ſolum præſentis inſtituti ſui erat) alia ratione intermiſſa de præuſu gratiæ Dei, reprobis etiam datæ, & aliunde, & abunde in terminis eorum obiectioni ſatisfaceret; vt alibi ex inſtituto & ad ſpeciale id inſtitutum ſatisfacit. Dixi hanc fere eſſe Cornelij à lapide interpretationem: quia ipſe, non tam de prædeſtinatione, & reprobatione ex parte voluntatis diuinæ affectiue præparantis ſalutem, & permiſſiue damnationem; ſed glorificandi, vel damnandi bene vel male abſolute meritos intelligit, vt concludit, & *ſi* opi *genuinam*.

4. Verum germaniorem ſenſum noſtrum non de effectibus electionis, ac prædeſtinationis à Deo vnius præ alio, ſed de electione, & prædeſtinatione nobis fecerunt illa, *cum nondum nati*, &c. Cuius rationem parentheſi illa (*vt ſecundum electionem*, &c.) Paulus interſerit: ſunt enim, & textus de dilectione, ſeu electione, & inſerta ratio de propoſito, ſeu prædeſtinatione: ac inſuper Patres, & Scholaſtici de eis hunc textum intelligunt, & contra Pelagianos, & Semipelagianos eo ſenſu vtuntur, nec alio Cornelij vti poſſent: ſiquidem ad vocationem ad fidem, & iuſtitiam populi gentium præ Iudaico ex operibus gratiæ quidem ſuæ, ac ſemper ad præmium, ac perennam æternam opera Deus expectat, vt conferre de ſita velit, vt iam expendemus: quare in neutro ſecundum Dei electionem, ſed ſecundum opera propoſitum Dei maneret contra Pauli ſententiam; neque abſolute antequam quidquam boni egiſſent, aut mali, vt Iacobi electione & dilectione diuina, atque Eſaü odio, & reprobatione in exemplum adducta Apoſtolus & contendit, & oſtendit. Ratione vero Pauli ſic argumentor. Prædeſtinatio, ſiue propoſitum Dei, ſiue ad fidem, ſiue ad iuſtitiam, ſiue ad gloriam vnius præ alio eſſe, manereque ſemper debet ſecundum meram Dei electionem, ac puræ miſericordiæ diuinæ exercitium, & gratuitam voluntatem: atqui ſi ex operibus prædeſtinati vndecumque, etiam ex Dei gratia habitis propoſitum, & prædeſtinatio vnius præ alio à Deo haberetur, neque eſſet, nec maneret ſecundum totam Dei electionem & pure miſericordem, & gratuitam

Dei

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dei voluntatem: ergo non eſt ex operibus prædeſtinati etiam ex gratia profectis. Maior eſt textus ipſe parentheſis illius confirmata à Paulo ex textu Exodi, ac rurſus illis verbis, & illatione Pauli. *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: ac rurſus exmplo luti, & figuli, qui ex poteſtate, & dominio, quod in lutum habet mero, & puro abſque vlla differentia, aut motiuo oblato ex parte maſſæ (omnino ſubſtantiæ, qualitatis & conditionis eiuſd.) vt præ alia maſſæ parte in vas contumeliæ relictæ eligatur in vas honoris; inde enim oſtendit Paulus ex ſola ſupremæ ſuæ in rationales omnes creaturas poteſtatis iure, & dominio abſque vlla qualitatis, aut conditionis ex parte maſſæ hominum totius ſiue originali, ſiue actualibus infectæ, vel etiam puræ, ſiue in puris naturalibus oblatæ, (ſi ita offerretur) Deum ex miſericordi, & pure gratuita voluntate poſſe de facto eligi eius partem in vas honoris, & miſericordiæ quod ipſum eſt illam prędeſtinare & eligere) alia parte pro ſuo mero arbitrio in vas contameliæ, iræ, & indignationis relicta.

5. Minor vero Syllogiſmi proximi probatur facile. Primo: quia quod ex pura miſericordia, & mero dominio, gratuitaque voluntate Dei fit, nullum aliud motiuum habet, quam ſui vſum dominij, & miſeriæ alienæ ſubleuationem, & beneficentiæ gratuitæ, & liberalis exercitium erga illum, circa quem exercetur, ex parte huius appoſitum. Atqui, ſi electio, & prædeſtinatio propter opera, & merita electi, & prædeſtinati etiam vndecunque profecta foret, aliud motiuum ex parte prædeſtinati haberent: ergo non eſſet prædeſtinatio, & electio purè miſericors & gratuita ac liberalis, ſed remuneratoria, quæ gratuitæ, ac liberali contradicit: vnde & illa Patrum contra Semipelagianos conſequentia, *Ergo iam gratia non eſſet gratia*, & vrgentius teneret: ſiquidem illi non quidem meritum abſolute tale, vt contraria præſenti noſtræ opinio, ſed anſulam quandam, & occaſionem tenuiſſimam à prædeſtinato oblatam Deo ad electionem, & prædeſtinationem contendebant. Dices hanc anſulam cum ex puræ naturæ viribus Deo offerretur, nihil gratiæ ex parte Dei ſupponere: ac proinde conſequentiam tenere: *ergo iam gratia non eſt gratia*: aſt in caſu quæſtionis præſentis ſupponi eſſe ex gratia, & auxilio, ac prædeſtinatione Dei, nec ſolis naturæ viribus in vno genere profecta merita, & opera illa, quæ prædeſtinationem, & auxilia Dei cauſant in genere alio: ac proinde gratiam, prædeſtinationem, auxiliumque Dei, vt operum cauſam, & radicem abſolute ſupponere, quam ſua cauſalitate nequeunt proinde deſtruere: quare non valere conſequentiam illam in ſuppoſito quæſtionis præſentis, quod ex Dei gratia, & prædeſtinatione ea opera eliciantur. Cæterum ſuppoſitum quæſtionis non eſt de operibus ortis ex gratuita pure miſericordi, ac liberali prædeſtinatione, & auxilio, ſeu auxiliante gratia Dei, qua gratia, & gratuitum donum formaliter eſt: ſic enim ſupponeretur contradictorium ad quæſtionem: nempe, & voluntatem prædeſtinatiuam, & auxilium poſſe eſſe gratuita ſimul, & liberaliter habita, ac ſimul remuneratoria, & oneroſa: quod quæſtioni ſubditur, & principium continet altervtro modo decidendi quæſtionem pro eius principij poſſibilitate, vel repugnantia ſtatuta.

6. Aliud ſolum ſuppoſuimus ad quæſtionem, in quo alij repugnantiam recognoſcunt, alij poſſibilitatem: nempe, cauſalitatem mutuam in diuerſo genere, ſiue proximam, ſiue remotam, ac inſuper merita de quibus diſputamus non eſſe ex naturæ viribus ſed ex ſupernaturali auxilio Dei, non autem ex gratuito & liberali Dei dono, & voluntate profecta reſpectu prædeſtinati, & electi operaturi vt ex quæſtionis titulo, & explicatione patet. Hoc autem ſuppoſito atque aliunde ex Pauli teſtimonio, atque fidei dogmate, quod electio prędeſtinatio, & auxilium indebitum naturæ, & ſupernaturale gratuita, mereque liberaliter, ac miſericorditer reſpectu prędeſtinati habita, conceſſaque à Deo ſint, recte arguitur ratione gratuiti, & liberalis, ac pure miſericordis electionis & prædeſtinationis, ac ſubinde gratiæ reſpectu prædeſtinati, quæ in eo auxilio inuenitur. meritis prædeſtinari ex ea electione, & auxilio profectis non potuiſſe prædeſtinationem, auxiliumque à Deo obtineri, quin quæſtionis ſuppoſitum deſtruatur. Iam quod reſpondetur argumento ex repugnantia affectus, & doni liberalis, ac ſimul remuneratori, & oneroſi ad rem non eſt. Si enim repugnat eidem affectui, & electioni diuinæ (vt vere repugnat) remuneratoriam meriti, ac ſolum liberalem & gratuitam ſimul eſſe: cum pure liberalem fuiſſe gratuitamque, ac miſericordem ex ſcriptura habeamus, eam ex meritis prædeſtinati, etiam ex ſupernaturali auxilio ortis, eſſe non poſſe euidens eſt, vt contendimus: quod adhuc eſſe in radice ex gratia vnde merita illa prouenirent (implicatione demonſtrata omiſſa) ſatis non eſſet, vt electio, & prædeſtinatio in ſe abſolute gratuita, liberalis pureque miſericors diceretur, ſed cum addito *in radice* in ſe autem oneroſa, & remuneratoria, vt voluntati Dei dandi gloriam executiuè ob merita iuſtorum ex auxilio gratiæ profecta euenit, in ſe ſcilicet oneroſam abſolute: remuneratoriamque ſolum eſſe, ac tantummodo liberalem, & gratuitam in radice, & hic quidem radix principiumque gratuitum reperimus in voluntate dandi gratiæ auxilia quæ abſolute, & merita præmianda & voluntatem Dei exucutiuè præmiatiuam præcedit: in caſu vero noſtro minimè.

7. Etenim prædeſtinatio, & electio, ex qua auxilia ſupernaturalia ortum habent, tanquam ex partiali, & eſſentialiter requiſito motiuo ob merita abſoluta adeo concipienda, habendaque eſt, nec niſi ob illa poteſt à Deo concipi, & haberi, atque in ſe abſolute eſſe. Vnde in nullo ſigno poſſunt abſolute auxilia ſupernaturalia, & merita inde orta pręcedere, in quo remuneratoria abſolutè electio, & prædeſtinatio non ſit: quare radicem, principiumve aliquod ad ipſam, etiam in alio genere cauſæ gratuitum, pureque liberale ratione meritorum ab auxilio ſupernaturali prouenientium ex parte Dei, nullatenus poteſt ſupponi: vt ad voluntatem Dei executiuè præmiatiuam ſupponitur in gratuita, meréq; liberali voluntate Dei auxiliorum diſpoſitiua, & collatiua, quæ abſolute in ſe poſita, & auxilia, & mera, & præmij illorum executiuam voluntatem antecedit: quæ obinde gratuita, ſeu gratioſa in radice voluntatis illius, diſpoſitiuæ, & collatiuæ auxiliorum dici merito queat. Vnde conſtat diſtinctionē illam ad gloriam, ſiue prędeſtinationis proprie dictę ab Okamo, Gabr. & Cather. tentatam, & aſſertam, in prędeſtinationem, ſiue electionem ad gloriam prædeſtinatorū præ aliis non prędeſtinatis, ſeu præſcitis ante abſoluta merita ex ſupernaturali Dei auxilio, vel poſt illa de propria Dei prędeſtinatione, quæ de facto fuit, implicatoriam, quoad ſecundum membrum diſtinctionis eſſe. Cum omnis prædeſtinatio, vt bona opera eſſent, pure liberalis, gratuita & miſericors fuerit ex ſcriptura, & Patribus. Ac denique quia prædeſtinatio à voluntate conferendi auxilium ad meritum de facto ex illo habendum, & coniunctum cum finis aſſecutione inchoatur: cum ſit in illa *præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicunq; liberantur*: nec poſſit meritis inde ortis obtineri: quia principium meriti, quovis gradu tale, nequeat ſub meritum cadere, vt ſæpe alias oſtendimus contr. 3. de Incarn d. 3. q. 3. cert. 1. n. 3. & controu 6. d. 1. q. 4. maxime cert. 7. quare neque hic ſit longius repetendum. Hæc autem quæ poſuimus omnia æque merita per modum pretij & ſolutionis, & ordine intentionis Soariſtico, atque executa, & abſoluta impugnant: quocunque enim modo merita explicentur, ſi Deum ad prædeſtinationem, & auxiliorum electionem, & collationem meritoriè moueant, iam gratia non foret gratia, neque electio, prædeſtinatio, & illorum collatio miſericors, & gratuita: ac inſuper conſequentiæ illæ Patrum & Conciliorum non tenerent: & hæc ſint in præſentiarum ſatis. Propterea concluſio hæc, de facto loquendo, omnium Theologorum eſt cum S.Th. 1. p. q. 23. a. 5. & 1. 2. q. 114. art. 5. quos ſequuntur Vaſq. 1. p. d. 91. c. 6. Soar. 2. de cauſa prædeſt. c. 20. Valent. 1. 2. q. 114 a. 5. d. 4. vbi Zumel d. etiā 4 Arrubal. 1. p. d. 76. c. 2. Herize d. 28. c. 2. n. 8. Granados tr 7. d. vlt. Ioan. Præpoſ. 1. p. q. 23. a. 8. dub. 4. Faſol. ad eand. q. art. 5. n. 2. & 3. Commentarij, & hi quidem omnes concluſionem negatiuam de poſſibili etiam tuentur: quia principium meriti ſub meritum cadere poſſe repetant impoſſibile; ſi tamen Soar. excipias 2. de cauſa prædeſtinationis cit. c. 20. cit. & 3. p. tom. 1. d 10. ſect. 4. diſtinctione illa ſua ordinum intentionis, & executionis principium meriti ordine executionis poſſe ſub meritum ordine intentionis venire docens, & Granados loc. cit. qui eandem concluſionem de poſſibili tuetur.

## CERTAMEN II.

### *Quidnam ad prædeſtinationem propriam opera ex ipſa, & gratia Dei profecta conferant demum?*

1. SEd enim, quamvis meritoriè, nec cauſa, nec vllo modo gratiæ, & prædeſtinationis ſuæ principium operibus ex gratia profectis prædeſtinatus poſſit apponere, lis adhuc inter ſcholæ noſtræ Doctores, qui gratiæ efficaciam extrinſecus à conſenſus noſtri futuritione ſolummodo admittunt eſt: an ſenſu, & ratione alia operibus illis, quibus gratiæ efficacia, ac proinde gratia propria prædeſtinationis, & prædeſtinatorum completur cauſa prædeſtinationis ſuæ, aut conditio, ſine qua non dici poſſit? in ea quippe ſententia, ſi prædeſtinatus gratiæ Dei, vt poteſtate antecedente poteſt, non cooperaretur, nec gratia efficax illa foret, nec eius electio prædeſtinatio. Video hanc inter noſtros litem totam de nomine eſſe, nec ſemel à nobis eius decidendæ tom. 1. de Deo vno, & ſecundo hoc iacta eſſe principia; ſed tamen quia Dominicanæ Thomiſticæ Recentioris ſcholæ Doctores ex hac difficultate in noſtris principiis, variiſque noſtrorum ad eam expediendam loquendi modis elatis vocibus condamant, nos vtique à nobis contra Apoſtoli, ſeu potius Auguſtini, & Patrum ex ea ſententia ad rem prædeſtinationis iam dogmaticam, accommodationem, diſcerni. Quæſtionem hanc de nomine rigidiſſime examinare, atque loquendi propriores, aptioreſque modos aliis, qui æquiuoce arguendi, & contra nos inclamandi locum præfatis Thomiſtis facere poſſent reiectis, ſtatuere, ac definire laboris ad rem præſentem vtilis, nec leuis operæ pretij fore iudicaui. Tametſi non à Deo profuſa, atque ab aliis diſputatur, contentione verſandam quæſtionem exiſtimem: quorum replicata argumenta, & inſtantiolas proinde omittam, eorum loquendi modos, & ſententias ſummatim ſolummodo recenſens, vt poſt modum pro prioribus vocibus rem ipſam noſtris omnibus Doctoribus communem tradamus.

2. Duo autem apud eos omnes firma, & ſtatuta præmittenda ſunt. Alterum in ſenſu compoſito, vt aiunt, prædeſtinationis, & collationis gratiæ efficacis ex ſcientia conditionata futuri recti vſus, & conſenſus noſtri gratiæ cooperanti, poteſtate conſequenti, non poſſe non bonum illum vſum, & conſenſum gratiæ Dei non eſſe; & tamen poteſtate antecedente poſſe, quia futuritio conditionata, ex qua ſcientia conditionata, qua illius auxilij efficacis electio prædeſtinatiua dirigitur, & prædeſtinatio ipſa completur, obiectiua dependentiæ à bono vſu gratiæ illius, & conſenſu noſtro abſoluto purificata conditione, & gratia abſolute poſita, pendet, vt primo ſit, & præceſſerit, vt docuimus contra minus in noſtræ ſcholæ principiis inſtructos recentiores controu. 6. de prouidentia & hac 7. de prædeſtin. eorum ſophiſmatibus diſiectis. Hinc autem euidens fit noſtro bono vſu gratiæ, & cooperatione pendere, quod gratia, quæ prædeſtinatione nobis confertur, propriéque prædeſtinatiua, ſeu prædeſtinationis eſt, talis ſit, atque ex prædeſtinatione, ſeu ſpeciali erga prædeſtinatos prouidentia, non autem ex communiori erga reliquos etiam non prædeſtinatos, prouidentia proueniat: etenim efficacia gratiæ eam ad prædeſtinationē nec ſolum ad communem de omnium (loquimur de adultis) ſalute pertinere facit: atqui hæc, vt vidimus à bono noſtro vſu gratiæ, conſenſu & cooperatione abſoluta pendet vt diximus: ergo & quoad gratiam propriam prædeſtinationis & prædeſtinatorum pertineat ab eiſdem itidem pendet, id rectè probant noſtri ex 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem*, id eſt efficacem, & *electionem faciatis*: id eſt, faciatis prædeſtinatiuam, ſeu prædeſtinationem, quæ nihil aliud, quam electio vocationis, & gratiæ cum euentus, ſeu conſenſus certitudine, eſt; ita expreſſe Molina 1. p. q. 23. artic. 5. d. 1. m. 6. & 11. Vaſquez d. 91. cit. c. 7. Arrubal. cit. diſp. 77 Valent. citato art. 5. punct. 4. §. 8. verſu *ſecundo ſequitur*. Herize ſupra; atque ex noſtris reliqui, & ſcholæ noſtræ Sectarij Ioan. à Bononia opuſc. de prædeſtinatione parte 1. & 2. Bartholomæus Camerar. Dialog. Cathol. capite 4. §. 1. & cæteri, fuitque iam olim ſententia Henrici quodlib. 4. quæſt. 19.

3. Alterum apud eos omnes ſtatum, firmumque præmittendum obſeruauit aliis expreſſius, magiſque ex profeſſo Vaſquez noſter d. 92. c. 2. tametſi reliqui ſcholæ, & doctrinæ noſtræ de auxiliorum efficacia ſequaces, tum noſtri, quam externi in eius explicatione, vel argumentorum aduerſantium ſolutione, idem ipſum doceant: eſt autem præmittendum illud actus electionis liberæ Dei auxilij efficacis, ſeu habituri effectum, ſi donetur, ita præſuppoſiti, & præcogniti, ſiue prædeſtinationis liberæ Dei eiuſmodi ſcientia conditionata poſterioris, nullam ex parte prædeſtinati, cauſam, aut conditionem vllam dari vllatenus poſſe: id quod probat bene Vaſquez ex Hieron. ad id Hierem. 10. *Scio Domine, quod non eſt in manu hominis via eius*, & Auguſt. 1. retract. c. 22. *in poteſtate hominis eſſe vias ſuas in melius commutare; ſed poſtetate ſibi data à Deo per gratiam*: iuxta id Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Cuius vtique poteſtatis donatio noſtræ poteſtati nullatenus ſubditur; ſed eſt ſolius omnino poteſtatis, dominij, & libertatis diuinæ. Notatum autem velim præſentem difficultatem æque habere locum in prima gratia efficaci, ex qua effectuum prædeſtinationis continuata ſeries, & contextura inchoatur, atque in vlterioribus gratiis efficacibus, quibus ſeries tota illa contexitur, & terminatur; etſi vlteriores illæ gratiæ operum ex præcedentibus aliis efficacibus auxiliis merito congruo obtineantur, ac remuneratoriè à Deo donentur: cum enim, vt auxilia propria prædeſtinationis, ac prædeſtinatiua ſint, efficacia eſſe debeant: atque ob dependentiam, quam efficacia ſolum ab extrinſeco conſenſu noſtro libero à noſtris Doctoribus admiſſa ab ipſo conſenſu habet, præſens oritur difficultas, ſiue mere gratuito, & liberaliter à Deo gratia efficax donetur (vt de prima gratia prædeſtinatiua diximus) ſiue remuneratoriè, & ex meritis, ſaltem congruis, operum ex anterioribus gratiæ auxiliis profectorum, vt dari poteſt, idem præſenti quæſtioni locus patet, an ob efficaciam auxilij neceſſariam, in quouis auxilio, vt prædeſtinatione eligatur à Deo, atque donetur, atque efficaciæ illius dependentiam à nobis & conſenſu prædeſtinati explicatam, prædeſtinatio tota, quatenus ad ſingula, & omnia auxilia efficacia extenditur à prædeſtinato, eiuſque operibus aliquo modo pendeat: ac proinde hic ſuis operibus ſuæ prædeſtinationis, etſi non meritoriè cauſa principium, aut conditio ſit, dicique poſſit? quod noto contra Doctos ſcholaſticos, qui dependentiam non meritoriam prædeſtinationis à prædeſtinato cum dependentia meritoria, de qua ſuprà confundentes, de primo ſolum auxilio efficaci prædeſtinatiuo notant eſſe præſentem quæſtionem.

4. Vaſquez vtrumque cauſalitatis genus, ac dependentiæ confundens d. 92. capite ſecundo citato negat nos prædeſtinationis noſtræ, cauſam vt conditionem dici poſſe: quia, etſi vlteriora auxilia efficacia à primo prædeſtinatiuo operibus ex ipſo ortis promereri poſſimus de congruo, ac proinde, & ipſa, ac prædeſtinatio, prout ad illa vlterius terminatur, noſtræ poteſtatis ſit; at vero, quod auxilium primum prædeſtinationis donatur, noſtræ non ſubiacet poteſtati: reſpectu autem quorumcunque auxiliorum, quæ in noſtra ſint poteſtate, & prædeſtinationis quatenus ad ipſa extenditur, cauſam nos proprius, potiuſque, quam conditionem dici debere cenſet, ex illo Auguſtini lib. 1. retract. capite 22. *nisi, quod in noſtra poteſtate eſt nos ſumus cauſa*. Cæterum, vt nuper notabam cum hæc difficultas ex dependentia efficaciæ auxilij neceſſariæ, vt auxilium proprium prædeſtinationis ſit, ab arbitrio, & conſenſu noſtro ſubdeſtinationis ſit, ab arbitrio, & conſenſu noſtro ſub orta omnino fuerit ac procedat: atque ea dependentia æqua in primi auxilij, atque in vlteriorum efficacia inueniatur, inutilis, atque extra rem præſentem prorſus

ea

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ea primi auxilij prædeſtinatiui à reliquis; & prædeſtinationis, quoad hæc extenditur, ab ea quatenus ad primum illud terminatur diſtinctio à noſtro Vaſquez aſſignata, atque ex confuſione & coniunctione duplicis valde diuerſæ dependentiæ auxiliorum propriæ prædeſtinatiuorum, & efficacium ab arbitrio, & conſenſu noſtro meritiuæ vnius, ac non meritiuæ (de qua ſolum in præſenti) alterius omninò eſt profecta: quod autem ait eo modo, quò auxilium efficax, & propriò prædeſtinatiuum, & prædeſtinatio, quatenus ad illud terminatur à noſtro arbitrio, eiuſque libero conſenſu dependerit, atque in noſtra fuerit poteſtate, eius cauſa proprie & abſolute iuxta Sancti Auguſtini teſtimonium dici debeat; quibuſdam ex noſtræ Scholæ Doctoribus placet; aliis vero æquo amplius diſplicet: quia eiuſmodi dependentia ſiue efficaciæ auxiliorum prædeſtinatiuorum, ſiue prædeſtinationis ipſius, quatenus extenditur ad ipſa vtrovis modo quiſque loquatur, me quidem iudice, referat nihil.

5. Rigide ergò atque ad præſentem quæſtionem ſeorſim Vaſquez, Arrubal Valentia citatis locis, & communiter noſtri Doctores, quos ſequitur magnus meus Magiſter Didacus Daza d. citata §. 3. circa finem verſu, *ſed quamvis inter Authores* cenſent in poteſtate prædeſtinati eſſe non prædeſtinari, ac proinde negationis huius veram cauſam, (vel ſi malis conditionem) arbitrio ſuo prædeſtinatum in actu primo, & in ſenſu diuiſò à ſui prædeſtinatione eſſe poſſe: cum enim efficacia auxilij, ſine qua eius à Deo prouiſio prædeſtinatio eſſe nequit, ex conſenſu quia gratiæ ſolius operatione, niſi arbitrij cooperatio adiungatur, atque identice comitetur, eſſe non poteſt, vt diximus, dependeat, atque gratiæ præuenienti cooperari, vel ſecus libero arbitrio prædeſtinati, atque in eius ſubinde poteſtate ſit: ac inſuper ad negationem rei, quæ à duobus principiis eſſentialiter pendet, alterius defectus negationis rei illius ſufficiens & adæquata cauſa ſit: fit, vt negatio, ſeu defectus liberæ cooperationis gratiæ præuenienti conſenſum, qui eſſentialiter è cooperatione vtriuſque pendet, ſufficienter adæquate, & abſolute: quare & efficacia gratiæ, quæ ab illo deſumitur, remoueatur, ac ſubinde prædeſtinatio, quæ gratiæ ſolummodo efficacis præparatio eſt: ergo negatio prędeſtinationis ſuæ, ſiue, vt non prædeſtinetur, in prædeſtinati poteſtate abſolutè eſt, vt idcirco Proſper ad 3. capitulum Gallorum dixerit: *Ideo non prædeſtinati, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti.* Non autem eſſe in noſtra poteſtate prædeſtinari probant: quia, etſi efficaciæ gratiæ cauſa ſimus, non tamen ſumus cauſa, vt gratia illa à nobis donetur: quid autem ratio hæc pro extrema hac parte negatiua abſolutè (cui diſſentimur) ſententiæ huius præſtet, cum noſtras ſtatuamus concluſiones apparebit.

6. Aureolus in 1. diſtinct. 40. & 41. articulis primis Exius de prædeſtinatione, centur. 3. numero 2. quos imitatur Molina loco citato, cenſent prædeſtinatum eſſe cauſam ſine qua non prædeſtinationis ipſius, quoad totam poteſtatem, & effectus ipſius: quia conſenſus, & cooperatio noſtra gratiæ præuenienti, provt libera, & à nobis, nec effectus gratiæ, nec diuinæ prędeſtinationis, quæ media ſolum gratia ipſum operatur, eſt: ac ſubinde, quod vtriuſque cauſa, aut conditio ſit, non eſt cur repugnet. Aſſumptum probatur: quia gratia præueniens liberum in operando adhuc partiale principium non eſt: quare conſenſus noſter liber, qua liber, à nobis ſolum eſt, non à gratia: quod in doctrina noſtri Soarij 2. de prædeſtinatione capite 20. numero 6. non non parum roboris habet: ait quippe, conſenſum effectum auxilij gratiæ ſolummodo vt præuenientis eſſe: præuentio autem, & excitatio voluntatis ab auxilio gratiæ præcisè ſumpta in genere cauſæ formalis tota tota eſt, per ſui informationem, & formalem repræſentationem obiecti: quare vlterius alterius aliquid in genere cauſæ efficientis auxilio illi præuenienti erga conſenſum noſtrum liberum concedendum eſt, vt cooperans arbitrio noſtro in libero conſenſu ipſo (quod in genere cauſæ formalis, & vt præueniens præcisè habere nequit) iuxta Patres & Theologos ſit ac dicatur. Cæterum, cum ea præueniens gratia boni, & motiuorum, quæ voluntati formaliter repræſentat, ipſamque oppoſita cogitatione detentam, atque in aduerſum in actu primo diſtractam, ad conſenſum alliciat, & actiue intentionaliter ſollicitet ac moueat, atque illum ab ea de facto ſua hac ſollicitatione obtineat, vere conſenſus noſtri vt à noſtro libero arbitrio, cauſa etiam abſolute eſt dicique debet: atque ea ratione ipſi arbitrio non præueniens formaliter ſolum gratia, ſed in ſuo genere cauſæ actiuæ intentionalis gratia ad conſenſum, vt à nobis etiam, & liberum, cooperans indiuiſim eſt: quare ex eo, quod gratiæ præuenientis effectus conſenſus liber non ſit: male ab his Doctoribus probatur poſſe, & gratiam, & prędeſtinationem, vt ad ipſam terminatam, ac conſenſu illo libero, tanquam à cauſa, vel conditione pendere: tametſi aliunde earum concluſio verum habere poſſit, vt inferius dicemus.

7. Dico primò cum omnibus noſtris Doctoribus, in noſtra, & arbitrij poteſtate eſſe non prædeſtinari: quare, & in prædeſtinati poteſtate in actu primo conſiderari non prædeſtinari, in ſenſu tamen diuiſo à prædeſtinatione. Probatum ſatis id eſt à nobis Doctoribus numero 3. ſed eſt contra concluſionem non contemnenda difficultas, etſi ab eis intacta: quia difficultas illa ab aliis Recentioribus, & à nobis fusè quæſtione 1. examinata, tunc temporis ex inſtituto non diſputabatur: ex ibi ergo ſtatutis: arguo ſic. In cumulo auxiliorum Dei Omnipotentia clauſorum aliquod, & aliqua neceſſario clauduntur, quibus prædeſtinatus conſentiet: ergo, etſi huic, cuius præparatione prædeſtinatus poſſit in actu primò non conſentire, cum omnibus diſſentire nequeat, poterit Deus etiam huic auxilio diſſentientem, ac proinde ex vi præparationis auxilij huius non prædeſtinatum, per alterius pro ſuo ſolum libito præparatione prædeſtinare, vel præparatione cumuli totius auxiliorum: in primis obiectio hæc dat negationem cuiuſvis prædeſtinationis in particulari, & per quodvis auxilium particulare impedire noſtræ phyſicæ poteſtatis eſſe, atque arbitrij noſtri facultati ſubeſſe: quod ſatis eſſet ad concluſionem de facto tuendam: illud dę præparatione totius cumuli auxiliorum ſimul fors implicat: quia infinita ſyncathegorematice ſunt, nec poſſunt à Deo tot produci ſimul quin reſtent plura. His autem miſſis, & ſolutione communi de neceſſitate conſentiendi alicui vage, & impotentia renuendi omnibus coniunctim morali ſolum, quæ phyſicæ poteſtati diſſentiendi non obſit, vt ea quæſtione 1. referebamus, nec improbabamus: iuxta noſtram ſolutionem ibidem datam dicito: Deum ita pro ſuo libito ex neceſſaria ſua omnipotentia, & dominio cumuli auxiliorum, poſſe quemvis prædeſtinare, vt quovis, & omnibus auxiliis ab extrinſeco ſolum conſenſu libero arbitrij creati efficacibus, conſenſus huius libertatem non excludat: immo vero ad efficaciam ipſam conſtituendam: quare, & efficaciæ ſingulorum, & omnium auxiliorum à libero arbitrio dependentiam concernit, atque ex parte materiæ auxiliorum proprie prædeſtinatiuorum, ad prædeſtinationem ſupponit. Quo ad varias formas obiectionum ex eo principio petendarum præſto adeſt occupatio, & præuenta ſolutio.

8. Dico ſecundo contra Doctores citatos numero 5. prædeſtinatio, nec ſolum negatio prædeſtinationis ex parte materiæ, & obiecti neceſſarij præparandi per prædeſtinationem in noſtra poteſtate, & arbitrio libero prædeſtinati eſt. Hoc docuit Arrubal; & amplius addendum, & me iudice expreſſe continetur illa 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Quod eo ſolummodo intelligi poteſt, quatenus à libertate abſolute noſtri boni operis appoſitioneq; abſoluta ad quam nos Petrus hortatur, futuritio eiuſdem operis conditionata qua gratia illa efficax conſtituitur, & meteria ſubinde apta, & neceſſaria prædeſtinationis obiectiue pendet, ac proinde ſcientia etiam media, quæ electioni, ſeu prædeſtinationi defert certitudinem, atque euentus abſoluti infallibilitatem: id ipſum docuit Damaſcenus Dialogo contra Manich. ſcribens. *Bona agere, & boni effici contendamus, vt in eorum numero ſimus, quos Deus bonos fore prænouit, & ad vitam æternam præordinauit*: id eſt prædeſtinauit. Neque enim alium ſenſum, qui Maſſilienſium non ſit,

præter

præter præfatum habere ea verba poſſunt. A ratione vero non video, qua conſequentia eſſe in noſtra poteſtate ratione materiæ neceſſariæ, circa quam, ac ſubinde in arbitrio prædeſtinati ſuam prædeſtinationem negari ab his poſſit, qui prædeſtinationis negationem in poteſtate noſtra eſſe docuerunt. Nullo enim alio modo ex arbitrio, & poteſtate libera voluntatis, vt non prædeſtinemur, cauſæ eſſe poſſumus, niſi, quatenus ex libera poteſtate arbitrij non conſentire, ſeu diſſentire auxilio gratiæ poſſumus, reddereque illud non efficax, ſed inefficax, ac proinde gratiam illam reddere ineptam prædeſtinationi, quæ eſſentia ſua illius efficaciam, vt materiam, & obiectum per illam preparandum ex efficaciæ illius conditionata ſcientia, eſſentialiter ſupponit: atqui eadem illa poteſtate ad vtrumvis indifferente, conſentire auxilio eidem poteſt, illudque reddere efficax, & materiam, ſeu obiectum aptum prædeſtinationi: ergo in eadem poteſtate noſtra eſt ponere ex parte obiecti, & materiæ eſſentialis prædeſtinationi, prædeſtinationem eo tamen diſcrimine: quod noſtro diſſenſu adæquate & neceſſario prædeſtinatio poteſt à nobis auferri: quia eo à nobis poſito diſſenſuri prædeſtinatio libera minime Deo ſit, poſito vero conſenſu, ac ſubinde conſtante eius conditionata futuritione: & auxilij efficacia, quæ per eam completur, & conſtituitur, conſenſurum prædeſtinare, vel non prædeſtinare liberum integrumq; adhuc Deo eſt: quod non tollit, quod ex parte materiæ, & obiecti neceſſarij ad prædeſtinationem eius cauſa ſimus, ſed ſolum quod adæquata totalis, & completa vndique cauſa ſimus prædeſtinationis.

9. Dico tertiò: Tota prædeſtinatio ex parte, non quidem meriti, aut motiui, ſed materiæ neceſſariæ, & obiecti totius adæquate ſumpti in prædeſtinati poteſtate eſt, ratione efficaciæ, ſeu complementi auxilij quod à libero noſtro conſenſu deſumitur: conſentio in concluſione Aureolo Ekio, & Molinæ citatis num. 6. non tamen in eius probatione quam ibidem reieci. Sed tamen Arrubali ſupra citato in concluſione & probatione etiam conſentio libentiſſime, cum videam à magno meo Magiſtro Didaco Daza probari; quamvis noſtro Soario & Herize videam diſplicere. Et quidem, quoad complementum, & conſtitutionem efficaciæ omnium auxiliorum prædeſtinatiuorum à primo ad vltimum probatum eſt probatione eadem, qua ſecundam concluſionem probauimus: cum, quoad dependentiam auxiliorum à nobis, quoad efficaciam, ſeu ratione efficaciæ eadem ratio ſit de primo auxilio prædeſtinatiuo, ac de reliquis, ſiue intermediis, ſiue poſtremis, vt vidimus num. 3. quare tota difficultas eſt de gratia ipſa auxiliante entitatiuè ſumpta, nec ſolum, quoad conſtitutionem, & completum efficaciæ ſuæ entitatiue enim, nec ſolum, qua efficax eſt, accepta, effectus prædeſtinationis eſt, & quæ de facto non niſi prædeſtinatione tribuatur prædeſtinato: entitatiue autem ſumpta ab huius libertate dependere non poteſt, etſi quoad efficaciæ conſtitutionem, & complementum dependeat: ſed quoad entitatem, nec ſolum, quoad efficaciam abſolute à libertate prædeſtinati dependere facile probatur. Etenim non aliter entitas ipſa auxilij abſolute, & de facto datur prædeſtinato, niſi ex prædeſtinatione (neque enim datur primo ex prouidentia communi erga eius ſalutem, & poſtea pro naturæ ſigno poſteriori ex prædeſtinatione entitas auxilij; alioqui ſimul duplici cauſa totali & cauſalitate ſuperflue, vt minimum, poneretur, atqui ex prædeſtinatione, ne ſecundum entitatem quidem poneretur, ponive poſſet, ni efficax eſſet: ergo eius, ſecundum entitatem etiam ſuam, abſoluta exiſtentia, & appoſitio, quæ ſola eſt ab ipſius efficacia pendet. Atqui hæc pendet ab arbitrio libero prædeſtinati ad conſenſum: ergo, & auxilij abſoluta appoſitio, & exiſtentia, ac ſubinde prædeſtinatio ſecundum totum effectum gratiæ, adæquate, & ſecundum eius omnem partem ſumptum, pendet ab arbitrio prædeſtinati. Hac probatione difficultas propoſita, & quæ Soar. huic concluſioni infenſum fecit, diſparet, & leuioris armaturæ impugnationes Herize contra Arrubalem frigeſcunt.

10. Dico quarto & vltimo: prædeſtinatus etſi cauſa remota prędeſtinationis ſuæ per liberum gratiæ auxilianti conſenſum ſit, & negationis prædeſtinationis ſi non prædeſtinaretur, ſicut reprobi non prædeſtinati per liberum diſſenſum, aut omiſſionem conſenſus, quo, vel materiam, & obiectum neceſſarium remouent vel apponunt; nihilominus cauſa proxima prædeſtinationis, imò & abſolute cauſa prædeſtinationis ſuæ, vel negationis prædeſtinationis, nec ſunt nec abſolute dici poſſunt. Quoad cauſam abſolute talem prædeſtinationis eſt omnium noſtrorum Doctorum concluſio, quoad cauſam negationis prædeſtinationis non eſt ita ipſis communis. Immò video ab eorum pleriſque abſolutè, ac ſine limitatione, & adiamento aliquo aſſeri non prædeſtinatos negationis ſuæ prædeſtinationis cauſam eſſe. Eadem vero vtriuſque partis ratio eſt: quia prædeſtinatio immediate, & proxime imò & abſolute ſtat in electione mediorum efficacium, præ inefficacibus, ex ſcientia media efficaciæ eorum, quæ eliguntur, & inefficaciæ aliorum, quæ proinde non eliguntur, ſed reijciuntur reſpectu prædeſtinati: negatio vero prædeſtinationis ſtat in negatione electionis mediorum efficacium, quæ reſpectu cuiuſvis non prædeſtinati eligi à Deo abſolute poſſent: qui in ſua potentia reſpectu cuiuſvis creaturæ rationalis auxilia extrinſecus ab ipſius conſenſu conditionato efficacia habet, vt oſtendimus q. [illegible] Quod autem hæc media efficacia Deus eligat prouidenque his non autem illis quibus æque poſſet à conſenſu libero rationalium creaturarum nullatenus pendet: ergo nec ab eis abſolute pendet prædeſtinari vel non prædeſtinari. Probatur, & explicatur vis illationis huius: quamuis abſque mediorum aptitudine, & ſcientia horum præ illis electio eſſe non poſſit, ac proinde mediorum aptitudo ad electionem omnem ſupponatur: aſt, quod hæc præ illis æqualibus eligantur, media ipſa cauſa abſolute non ſunt, ſed ſola voluntas, & libertas eligentis, tametſi eorum aptitudo & conducentia ad finem intentum, vt materia, & obiectum aptum electioni, vel liberæ omiſſioni electionis ſupponatur, ergo nec eam mediorum aptitudinem apponens cauſa electionis, vel omiſſionis eligendi illa abſolute erit.

11. Confirmatur vlterius quia repugnante immò non exiſtente ſubiecto prędeſtinationis, vt ſupra oſtendimus non poſſet à Deo prædeſtinari; & tamen, quia ſolum eſt materia præſuppoſita, & ſubiectum *cui* prædeſtinationis nec aliter ad electionem mediorum efficacium & proprie prædeſtinatiuorum inducens, cauſa ſuæ prædeſtinationis neque abſolute eſt, nec dici abſolute poteſt: ergo nec auxiliorum efficacia, etſi apta, & neceſſaria electioni ac prædeſtinationi auxilia, & obiecta prædeſtinationi præſuppoſita conſtituat, cauſa prædeſtinationis, aut non prædeſtinationis abſolute eſt, dicive poteſt. Ex quibus omnibus conſtat pro iure, reprobus, & prædeſtinatus diſcretionis ſuæ prædeſtinatione vnius ac non alterius eſſe abſolute negentur; tametſi materiam aptam prædeſtinationi & negationi prædeſtinationis alter, vel alter, imò vterque pro ſua libertate apponat: quod Paulus non ſolum verbis illis *quis eſt, qui te diſcernit* in ſimili, & æquiualenti, ſed & exemplo figuli, & maſſæ luti præſuppoſita, è ſoloq; libito ipſius in adeo diuerſos vſus efformatæ apertiſſime propoſuit, & illuſtrauit. Ne ergo deinceps Dominicani Thomiſtæ Recentiores ad raucitatem vſque frequens illud ſibi contra Thomiſticam noſtram Ieſuiticam ſcholam in ſcholaſticis diſputationibus inclament, *quis eſt, qui te diſcernit*, auditorumq; aures deinceps obtundant, ſed faucium ſuarum, noſtrarumque aurium damno conſultius præcaueant: cum prædeſtinatiua diſcretione prædeſtinatum à non prędeſtinato ſe minime diſcernere perſpicuum ex dictis fiat, tametſi executiue gratia de ſe indifferenti vtrique ex quacunque prouidentia, conferatur, alter conſentiendo, alter vero diſſentiendo ſe diſcernant: ac ſic materia, & obiectum prædeſtinationis, ac non prædeſtinationi aptum obiectiue ab eorum libertate pendeat, & apponatur, quatenus futuritio conditionata conſenſus, aut negationis [illegible] quæ efficaciam, aut inefficaciam auxilij conſtituit, & [illegible] penſe prioritate maioris vniuerſalitatis præcedit, obiectiue, ac verificatiue ab eorum conſenſu, vel diſſenſu pendet.

QVÆST

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## QVÆSTIO V.

### *An Chriſti Domini opera ex Dei gratia profecta prædeſtinationis alterius cauſa eſſe poſſint, ac de facto ſint?*

DE Chriſti meritis, an prædeſtinationis aliorum cauſa eſſe poſſint? agendum hic reſtat, vt diſputatio præſens de cauſa prædeſtinationis penè abſoluatur: cum ex iis, quæ de eis ſtatuantur facilis ſit de aliorum meritis deciſio. Ne vero quæſtioni de nomine in vtrorumque meritorum erga aliorum prædeſtinationem cauſalitate locus ſuperſit, aduerto (quod in anterioribus ſuppoſitum potius fuit quam explicatum: quia in eis nemo dubitauerat, neque diſtinctione, vt in hac nonnulli, præcauendum cenſuerat) quæſtionem non eſſe; an alterius merita ſubſtantiæ ipſius voluntatis ſeu volitionis diuinæ neceſſariæ, ac prorſus ab omni extrinſeco (nedum libero & contingenti) independentis; cauſa eſſe poſſint? ſed eius, vt ad obiecta, & effectus proprios, prædeſtinationis libere fertur, ſiue id neceſſariæ Dei volitioni phyſicè realiter identificetur, ſolumque ſit realiter intentionaliter defectibile, vt diximus ſiue extrinſeci obiecti, effectus, vel actionis, connotatione compleatur; vel aliter iuxta alios modos conſtituendi liberæ Dei volitionis, & decreti libertatem. Quod autem liberam hanc volitionem præmij cuiuſvis intuitu meritorum à Deo præſtandi mereatur, quicunq; ita à Deo præſtandū meretur euidens cunctis eſt: cum non aliter in præmium, & propter merita dari à Deo illud poſſit, ni ad liberam volitionem, & decretum illud alicui conferendi meritis ipſius Dei moueatur: quocirca ſanctus Thomas 3. p. q. 24. art. 4. Alex. q. 3. m. 5. S. Bonauent. in 3. d. 11. art. 1. q. 3. Albert d. 10. art. 3. Richard. art. 4. quæſtione vltima. Durandus quæſtione illa 3 primo illo ſenſu Chriſtum, etſi omnes effectus prædeſtinationis noſtræ promeruerit, actum ipſum prædeſtinationis promeritum negant.

---

## CERTAMEN I.

### *De merito Chriſti Domini, & in hominum atque Angelorum prædeſtinationem influxu, & cauſalitate, Doctorum ſententiæ.*

1. EXplicatione puncti difficultatis manifeſtum fit eo gradu, & extenſione Chriſtum Dominum meritis ſuis noſtræ, & Angelicæ prædeſtinationis cauſam fuiſſe, quo effectuum eius fuerit cauſa: vt nimirum ſi omnes eius effectus meritis ſuis prædeſtinato, ſiue homini, ſiue Angelo à Deo obtinuerit, adæquatæ prædeſtinationis illius cauſa cenſendus ſit. Sin autem, non omnes eius effectus, ſed aliquos tantum, partis prædeſtinationis reſpondentis illis tantum effectibus, quos prædeſtinato promeruit ipſique à Deo obtinuit, ac proinde prædeſtinationis eius inadæquatæ cauſa debeat ſolummodo reputari. Vnde conſtat veram quæſtionis huius de cauſalitate meritorum Chriſti in hominum, vel Angelorum prędeſtinationem ex iis, vel maximè, pendere, quæ de merito Chriſti reſpectu Angelorum, & hominum exactè diſcuſſimus controu. 6. de incarn. d. 2. q. 2. & ſequentibus: quare ex ibi ſtatutis principiis noſtris ſententiam in re præſente cert. 2. dicemus. In ea verò Capreolus in 3. d. 18. quæſt. vn. art. 3. ad argument. Scoti contra 4. concl. Soncinas ibi concl. 3. Ferrara 4. contra gent. c. 55. Driedo de captiu. & redemptione gener. humani tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. ad 1. obiect. & tract. 4. tract 2. p. 8. m. 3. Adamus in cap 1. ad Epheſ. & vlt. verba ad Philipp. & ad Rom. 3 ad ea verba *vbi eſt gloria tua?* & in cap. 1. epiſt. 2. Petri, cenſent, nec fidei, nec aliarum diſpoſitionum, ex Dei etiam gratia profectarum, formalem impij iuſtificationem præcedentium, quare nec prædeſtinationis, quoad eos effectus, & gratiæ auxilia ad eos requiſita, cauſam meritoriam Chriſtum Dominum eſſe: quia, etſi Chriſti merita impium non iuſtificent formaliter; at quoad efficaciam applicita iuſtificantem & remiſſiuam peccatorum formaliter gratiam immediatè in horum ſententia inducunt: quare pro nullo priori applicari nobis poſſunt, quin ſtatim nobis, & remiſſionem peccatorum & formalem ſanctificationem inducant: ac proinde pro nullo alio priori anteriori, & remotiori ad iuſtificationem (ad quod procul dubio fides, & diſpoſitiones reliquæ ex gratia Dei auxiliante profectæ ſpectant) applicari nobis poſſunt. Eandem ſententiam ſatis indicant Ruard. art. 6. §. *Iterum obijcitur*, & Franciſcus Somnius 2. demonſtrat. Euangel. tract. 1. c. 19. Eam vero ſententiam abſurditatis, & erroris in fide notat Vaſquez 1. parte d. 94. cap. 1. & tom. 1. in 3. parte d. 77. & merito, vt cert. 2. concl. 1. videbimus.

2. Soarius noſter tom. 1. in 3. p. d. 41. ſect. 4. & fuſius 1 p. 2. de prædeſt. c. 14. num. 12. & 21. (vbi noſtri Vaſquez impugnationibus pro virili contendit occurrere) ſpecialiter diſcurrit. Quia etſi Chriſtum ante Adæ lapſum, eiuſque præuiſionem ſecundum ſubſtantiam prædeſtinatus, atque abſolutè merens præuiſuſque adeo in ſententia fuerit tamen, cum non, niſi poſt præuiſum Adæ peccatum, mortalis, & paſſibilis fuerit à Deo decretus, merita eius, vt morte conſummata, & in ſingulari, vt his, qui ſunt prædeſtinati præ aliis, & ſpecialiter applicita non potuiſſe à Deo præuideri, ſed in communi & vt fundata in morte Chriſti erga Deum, & homines omnes communi, & æquali cenſet. Vnde, etſi Chriſti meritis prædeſtinati debeant ſuam prædeſtinationem abſolutè, & gratiam omnem, qua ipſorum gratia, & beneficium eſt, non autem comparatiuè, atque, vt eſt eorum præ aliis non prædeſtinatis in ſalutem deſtinatio, electio, atque ab eis non prædeſtinatis diſcretio: quia ex merito communi pro omnibus, mereri quidem potuit, vt prædeſtinati ita in ſalutem deſtinarentur, non autem vt alij, pro quibus æque, vt ita etiam deſtinarentur, promeritus eſt, non deſtinarentur, cuius potius oppoſitum meruit; tametſi hos præ aliis ob merita ſua prædeſtinare, vel etiam omnes, vel nullos liberum Deo reliquerit: ac proinde non electio aliorum à prædeſtinatis Dei ſolum arbitrium, non autem Chriſti merita cauſam habuit habereve potuit. Confirmat exemplo teſtatoris mandantis hæredi, vt tot Virgines in matrimomium collocet: cuius voluntas, & etſi cauſa ſit, vt electæ ab hærede dotem, & matrimonium obtineant, vt autem non electæ ab hærede ab eo beneficio excludantur, ac proinde, vt electæ præ aliis, ſeu reiectis ab eo aliis illæ fuerint, non quidem teſtatoris voluntas, quæ pro omnibus, æqua, & communis fuit in cauſa eſt, ſed ſola voluntas hæredis. Quoniam vero Vaſquez d. citata hanc doctrinam confutauerat: quia Chriſtus Dominus ſpecialiter pro prædeſtinatis merita ſua applicuiſſe, & oraſſe Diſcipulorum nomine deſignatis dicitur Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro iis, quos dediſti mihi*: vnde, & prædeſtinatorum præ aliis ab ſpeciali illa applicatione, & oratione Chriſti excluſis, prædeſtinatio etiam comparatiuè, &, vt electio præ aliis non prædeſtinatis eſt, videtur ſuaderi: ad ordinem ſuum intentionis, & electionis inter efficaces Dei voluntates primo Soarius recurrit. Atque ordine intentionis, & ſalutem Prædeſtinatorum præ aliis, & ſuo ordine prius, & prius media fini illi propinquiora à Deo præ ſua mera voluntate fuiſſe decreta: in cuius demum ſecreta, arcanaque conſilia, non autem in humanam Chriſti voluntatem, vt principium, & radicem totum prædeſtinationis negotium reducendum eſt: Cum Apoſtolus ad Rom. 11. exclamet. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei!* Quo poſito ſpecialis illa applicatio meritorum Dhriſti, atque pro prædeſtinationis ratio ordini executionis potuit ſolummodo inſeruire, vt hi nihil nimirum præ aliis ſaluarentur; non





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

autem vt eligerentur, qui intentionis ordine electi efficaciter à Deo ſupponebantur: id quod non ex adeo difficili doctrina ſua de ordine intentionis, & electionis inter voluntates efficaces finis, & mediorum contingentium, & liberorum, ſed ex textu ipſo potuiſſet apparentius ſuadere: dicitur enim. *Non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi.* Scilicèt à te datis iam ante orationem hanc meam, quæ datos à te illos ſupponit electos. Denique: cum Vaſque ipſe (inquit) fateatur ſpecialem illam applicationem meritorum Chriſti per orationem pro prædeſtinatis ſolum ex Dei inſpiratione, & motione Spiritus Sancti ex intentione ſalutis ipſorum, atque medium vtique fuerit ad eorum ſalutem conſequendam, ac ſubinde ad prædeſtinationem, huius effectus fuit: & cum orationem, & ſpecialem applicationem meritorum Chiſti natura antecefferit, ſub huius motionem, & cauſalitatem venire non potuit: quare, nec totam prædeſtinationem, &, quoad omnia media, & effectus ſuos, Chriſtus promeruit. Mitto alia, quibus contra Vaſquez contendit ad motionem illam, & inſpirationem orationi Chriſti præuiam diuinam intentionem ſalutis prædeſtinatorum liberam ſine connotato extrinſeco aſſignabili, admitti contradictoriè in eius ſententia ad eius libertatis conſtitutionem: alia item, quibus contra eundem contendit eam intentionem abſolutè efficacem eſſe. His ſiquidem ipſis ſeipſum Soarius impugnat: ſiquidem vt controuerſia 6. de prouidentia, & hac ipſa 7. de prædeſtinatione dixi, ex inefficaci finis cuiuſvis, & in re hac ſalutis prædeſtinati, efficacia media, quibus de facto infallibiliter obtineatur, prouidere Deum poſſe Soarius ipſe fatetur. Cæterum in multis his, quæ Soarius præ ſui diſcurſus facilitate, copia, & ſubtilitate, vt alias ſemper ad rem præſentem mouet, immota vellem non pauca.

3. Primum: Quod merita in communi ſolum ac non in particulari, ac ſingulari præuiderentur à Deo ante Adami peccatum: id enim rationi viſionis intuitiuæ, cui in eius ſententia ex parte obiecti præciſiuam eſſe repugnat, conuenire ſine contradictione nequit; eſt autem diuina ſcientia cuiuſvis obiecti intuitiua (ipſo etiam fatente) eſſentia ſua cognitio. Inſuper cum re ipſa nihil Chriſtus operatus fuerit niſi in peccati remedium, atque ab ipſo reparationem, tanquam primarium finem, & incarnationis à Deo, & operum ſuorum à Chriſto intentum ad omnia eius opera, ac merita vniuerſim ſumpta peccatum præceſſit, ſi ad eius merita redemptiua debuit, vt Soarius ſupponit, præcedere: ac proinde nihil meritorum Chriſti abſolutè ante Adami lapſum præuideri: item quod ait viſa merita Chriſti ante Adæ peccatum vt fundata in eximia eius erga Deum, & homines Charitate: Si intelligit de amore Chriſti erga Deum terminato præcisè, & qui amoris erga proximos deinceps oriundi fundamentum ſit, & in quo hominum amor ſolum fundamentaliter videatur: cum neceſſarius Chriſti erga Deum amor omnino in eius ſententia ſit, meritorius non erit: quare, & electio prædeſtinatorum, vt dilectio etiam atque in illorum commodum ac beneficium tendens ex meritis Chriſti contra ipſum Soarium non erit. Si autem intelligat amorem, qui ſimul in Deum, & hominum redemptionem propter Deum: cum redemptionis amor in eius doctrina abſolute lapſum hominem ſupponat, pro priori ad lapſum hominis, nec eſſe abſolute potuit, nec à Deo præuideri, multóque minus actus alij meritorij, qui ex eo amore redemptionis hominum propter Deum ſuborti fuere: tum, quia liberè ab eo ſuborti, & qui in cauſa, quæ ſolum tunc videbatur, nempe in amore redemptionis videri certo abſolute non poterant. Tertio ordo ille intentionis, & executionis efficacium Dei voluntatem erga libera Chriſti opera & meritoria mouendus hic non erat. Tum, quia cum eorum libertate, ac merito contradictoriè pugnat, vt ſæpe maximè controu. 4. de volunt. d. 6. oſtendimus & hac controu. 7. non ſemel. Tum quia in operibus ordine ſolum intentionis acceptis nullum meritum eſſe poteſt, ſed ſolum ordine executionis, quo phyſicè, & executoriè à merente apponuntur: vnde contra Soarium fiet: vt prædeſtinatio adhuc, qua prædeſtinatis benefica, nec ſolum qua electio reſpectu aliorum prælectiua Chriſti meritis nullatenus debeatur: ad quod ſolum is ordo à Soario mouetur. Tum demum, quia in eo amore, ac meritis Chriſti ordine illo per Soarium præuiſis potuit eſſe ſpecialis applicatio pro prædeſtinatis præ non prædeſtinatis, ſi ordine executionis ſit adminiſtranda, vt ſit illorum comparatiua electio. Nec potuit ſolum ſed debuit: cum ordo intentionis debeat neceſſario, quoad obiecta, etſi non quoad ſtatum, omninò reſpondere ordini executionis. Exclamatio illa Pauli pro arcanis Dei conſiliis in negotio noſtræ prædeſtinationis extra rem, & Pauli mentem inducitur, qui eam ſemper ex meritis Chriſti factam dogmaticè docet. Cum enim Chriſti merita, ſiue ſpecialiter pro aliquibus applicita, ſiue non applicita, Deum non determinent, nec cogant, vt illos prædeſtinet, etſi, quod ſatis, ſuperque, & immenſe redundans meritorum pro prædeſtinatione aliorum eſt, non apponat, ſemper nobis ad arcana Dei Conſilia venerabundus recurſus debitus in negotio prædeſtinationis patet. Quartum, quod de oratione contra Vaſquez obiecit æquo robore Soarium ipſum impugnat: quomodocunque enim pro omnibus hominibus abſque ſpeciali vlla oratione, aut applicatione pro prædeſtinatis fuerit Chriſtus merens, ex gratiæ auxilio promeritus fuit, atque de facto ipſius merita; ac ſubinde ipſa dicta auxilia gratiæ prædeſtinatorum electionem ac prædeſtinationem, qua ipſis proficua fuere, quoad reliqua gratiæ dona à Deo obtinuerunt: ac proinde ab auxiliis gratiæ Chriſto ad opera meritoria datis prædeſtinatio eorum inchoatur: quæ tamen, vtpote eius meritis præcedentia, Chriſtus promereri non potuit: ergo nec prædeſtinationem adæquatam prædeſtinatorum, quoad proficua quam promeritum eſſe fateris, ſi quid tua obiectio probat.

4. Teſtatoris exemplum, etſi probet aliquid gratiæ, & beneficij vlterioris virginibus eligendis earum deſignatione ab hærede præſtandi reliquiſſe teſtatorem, qui tot virginibus dotem ex ſuis bonis legauit; non tamen probat electionis eius Virginum illarum, quæ aliis relictis ab hærede ſpeciali in illas beneficio fit, cauſam non eſſe teſtatorem, cuius voluntate, & legato ſublatis electio illarum præ aliis ad dotes illas non eſſet: immò neque ab eius hærede, qua tali; eſſe vſquam poſſet: quare & electionis illius cauſam eſſe voluntatem dotes pro tot maritandis legantis Teſtatoris Soarius ipſe merito fatetur, vt mox videbimus. Adde teſtatorem eo ipſo, quod numerum eligendarum taxauit, nullaſq; determinatè exclusit, cum eas in ſingulari eligendas hæredis permiſit voluntati, ea taxatione ipſa numeri à ſe facta cauſa fuiſſe, vt reliquæ manerent excluſæ: quare, ſi res hæc exemplo hoc omnino eſſet aptanda, ac definienda Chriſtum meritis ſuis electionis comparatiuæ prædeſtinatorum præ aliis cauſa, in ſenſu etiam, quo à Soario negatur, procul dubio foret; ſed quoniam Chriſtus voluntate, ac meritis ſuis omnium hominum in ſingulari ſalutem, & voluit, & meruit, exemplum ad rem non eſt, neque ab eo ad rem præſentem tenet contra Soarium illatio. Tenet autem aliter contra ipſum ab eo exemplo illatio alia. Si enim, vt ipſe exemplo ipſo illo contendit, aliquid beneficij, & gratiæ Virginibus ab hærede deſignatis ab ipſo confertur, quod non manet à voluntate teſtatoris, ſed à ſola hæredis illas in particulari, & indiuiduatim deſignantis: idque ipſum in prædeſtinatione libera Dei ob merita Chriſti eſſet admittendum, vt ſcilicet aliquid gratiæ à Deo illos eligente ſpecialis, ac ſoli ipſi, nec meritis Chriſti debitæ in prædeſtinatos admittendum ſit, ſibi apertè contradicit: ſtatuit enim merito & Catholicè totum, quod beneficij, & gratiæ diuina prædeſtinatione affertur prædeſtinatis, meritis Chriſti deberi, ab ipſiſque cauſari: cuius aperta ratio, & exempli diſparitas eſt: quia Chriſti merita pro prædeſtinandis omnibus in ſingulari, & eorum omnium indiuiduatim prædeſtinatione extiterunt, quin Chriſti meritis, & voluntate numerus prædeſtinandorum hominum taxaretur Dei voluntati, ſolummodo ſingularibus intra eum numerum eligendis relictis, vt ita aliorum intra eum numerum omiſſio, (quorum ſcilicet electione numerus eligendorum è Chriſti meritis, & voluntate completeretur, nec prædeſtinatos caperet alios) prædeſtinatis locum cederet: cum feciſſet, ac proinde in horum beneficium cederet: cum autem nec numerum prædeſtinandorum à Deo Chriſti voluntate, & meritis taxatus fuerit; nec ſingularis

aliquis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

aliquis eligendorum omiſſus, ſed pro omnibus in ſingulari, & omni indiuiduatim prædeſtinatione fuerint, quod non prædeſtinati excluſi à numero prædeſtinatorum ex libera Dei electione fuerint, nihil amplioris beneficij, gratiæque attulit, & contulit, prædeſtinatis, quam illis etiam in prædeſtinatorum numerum adſcitis afferret. Ex quibus illud contra Soar. clareſcit, Exemplum hoc, vt ab ipſo expenditur, alteri ſententiæ ſuæ parti aduerſari, alteri vero ad quam ab ipſo inducitur, minime poſſe facere.

5. Quod autem aiebat ex æquali, & communi pro omnibus merito Chriſti electionem comparatiuam prædeſtinatorum præ non prædeſtinatis non eſſe meriti Chriſti effectum, neque ipſi deberi De merito Chriſti, tam ordine intentionis, quam executionis, ſiue ante, ſiue poſt Adæ peccatum præuiſo. eandem vim habet: quare vltra falſa, quæ in eis doctrinis, cum abſolute, tum ad hominem deprehendimus, inutiliter, vt initio diximus, à Soario mouentur: eius vero argumenti debilitatem, & ſolutionem facilem ſatis indicauimus numero proximo, attigitque ſufficienter Vaſquez fuſiuſque Magiſter meus Daza citatis locis, ex quibus, clarius adhuc, illud reijciemus certamine ſecundo. Cæterum noſter Alarcon non ſatis ſe ab illo expeditum cenſens d. de cauſa prædeſtinationis multis contendit Chriſtum pro excluſione reproborum à prædeſtinatione, & auxiliis efficacibus ſpeciatim merita ſua applicuiſſe, atque Deum oraſſe. Primo ex datis verbis Ioan. 11. *Non pro mundo*, id eſt non pro prædeſtinatis, *rogo ſed pro his quos dediſti mihi*, id eſt prædeſtinationis. Sed intento, & interpretationi textus contradicit, ſubditur enim. *Et nemo ex eis periit* (pro quibus vtique oro) *niſi filius perditionis*. Iudas nimirum, qui non prædeſtinatus, ſed reprobus erat. Nomine ergo mundi non reprobi, nec nomine datorum à Patre pro quibus Chriſtus orauit prædeſtinati intelliguntur; ſed horum nomine Apoſtoli, & diſcipuli, qui Chriſtum comitabantur, erantque ipſius fidem prædicatione propagaturi, atque ij omnes, qui eorum prædicationem, atque Apoſtolicum exercitium erant poſt modum ſuſcepturi & imitaturi, ſiue prædeſtinati eſſent, ſiue non prædeſtinati, quin Pater aliquis doctuſve, aut rigidus interpres orationem illam ad prædeſtinatos omnes extendat. Nec Alarcon ipſe, niſi ſuæ doctrinæ oblitus ad eos omnes potuerit extendere, cum prædeſtinationis antiquorum Patrum non oratione; ſed gratiarum actione cauſam Chriſtum fuiſſe doceat. Probat ſecundo: quia honeſtiſſime, atque ex virtute iuſtitiæ vindicatiuæ in peccatorum vindictam negationem auxiliorum efficacium ad ſalutem, & prædeſtinationem à Deo petere, ſicuti ex Dei Charitate, & zelo Prophetæ vt in ſceleſtos mala depluant Deum orabant ipſiſque dira, infauſtaque omnia imprecabantur: atque Abeli ſanguis in Caïn, & animæ Martyrum etiam beatæ in Tyranos verbis illis Apocal. 9. *vindica ſanguinem noſtrum*, clamabant pro ſupplicio, iuxta noſtrorum Viegas Pereir, & Alcazar doctam interpretationem. Ac Petrus Chriſti virtute, & verbo ſuo Ananiæ, & Saphyræ mortem intulit, teſte ſancto Auguſtino de mirabilibus ſacræ Scripturæ, Gregorio Magno 1. Regiſtr. cap. 24. Chryſoſtom. ad eum locum Actor. Et mortem quidem impœnitentem auxiliorum efficacium ad pœnitentiam finalem denegationi coniunctam (quod ipſum eſt negationem prædeſtinationis virtute Chriſti imperare, atque impetrare, vt apud venerabilem Patrem Gaſpar Sanchez ibi, & Salmeron tractatu 21. Patres aliquot obſeruant, ex quibus Baſilius eſt in proœm. his verbis. *Non dignus habitus à ſancto Petro eſt Ananias, qui de agenda pœnitentia quidquam audiret: nec tantum ſpatij ſaltem nanciſceretur, quo vel leuiter animo indoleret.* Si autem virtute meritorum Chriſti ea Petro fuit data poteſtas, vt ob Eccleſiæ commune bonum, ac ne alij Petro ſucceſſoribus, ac in eis Spiritu Sancto mentirentur; quidni idem Chriſti voluntati, ac meritis ob eundem finem, atque ad iuſtitiam honeſtiſſime, vt diximus, exercendam in peccatores concedatur. Adde Chriſtum Dominum vt aliarum virtutum, ita & huius exemplo nobis præire oportuiſſe: maxime cum ea non à Sanctiſſimis Prophetis ſolum, ſed adeo etiam Patre, cuius perfectionis vitæ ſuæ exemplis, & adhortationibus, imitationem voluit nobis Chriſtus intimare in denegatione auxiliorum efficacium finalium, & prædeſtinationis peccatoribus ob anteacta delicta, ſæpiſſime, atque honeſtiſſime exerceri videret.

6. His autem omnibus à ſe non ignoratis, ſed præ eorum debilitate ſuppreſſis ac per neglectum omiſſis vno verbo præcauit, taciteque, & anticipate reſpondit Soarius ſupra eius virtutis exercitium, etiam in præſenti materia negationis auxiliorum finalium efficacium, & prædeſtinationis peccatoribus non prædeſtinatis ob peccata prius ab ipſis admiſſa, honeſtiſſimum quidem; at officium redemptoris & Mediatoris hominum non decere: cuius ipſe memor ſemper aiebat proinde Ioannes 3. numero 17. *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*: cui & fini, & muneri negationem prædeſtinationis velle reprobis, ac meritis ſuis impetrare manifeſte repugnet: quin imo Ioa. & Iacob. fulmina in Samaritanos quod ipſum diuerſorio adhuc, recipere nollent virtute Chriſti imperare, atque adeo impetrare volentibus benigne corripuit, verbis illis, *Neſcitis, cuius Spiritus ſitis*: mei nempe, nunc in aduentu primo hominibus eorumque ſaluti omnino proficui; non Spiritus Æliæ in vindictam de peccatoribus propenſi, vt Patres & interpretes omnes: & ſane ſi Chriſti merita & ſanguis pro vindicta peccatorum clamaſſent, quo pacto melius clamaſſet quam Abel iuxta Paulum ad Hebræ. 12. atque eius interpretes omnes. Petrum autem mortem Ananiæ, & Saphyræ impetrantem etiam denegationem auxilij efficacis à Deo voluiſſe, ac impetraſſe, nec Patres recitati, nec vllus alius interpres docet: neque id, quod interius arcanum occultumque fidelibus erat, ſed mors ipſa ſubita, quam videbant, atque, vt ſummum damnationis eorum à Deo præſumptio inde fidelibus facile ſuborta documento eſſe potuitne in oblatis Deo defraudarent, ac mentirentur: inſtat nihilominus Alarcon Chriſtum Dominum etiam in primo aduentu non ſolum Redemptoris, ac Mediatoris hominum, ſed & Iudicis eorum munus habuiſſe: ac proinde Iudicis exercitium hoc in vindictam peccatorum opportunum ipſe fuiſſe, non indecorum. Aſſumptum probat ex illo Ioann. 5. *Omne iudicium dedit Filio*, &c. & capite 9. *in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Quem locum de iudiciaria Chriſti in primo aduentu, & mortaliter viuentis poteſtate, & exercitio in prædeſtinationis, & negationis eius negotio à noſtro Barrada tomo tertio, libro ſecundo, capite ſecundo intelligi ait. Cæterum in hac inſtantia nimis purum Scholaſticum ætatis ſuæ egit, ſono, non ſenſu litteræ, teſtimonia ſcripturæ producens. Nemo enim Patrum, Interpretum, aut Scholaſticorum eſt, qui primum locum de Iudiciaria Chriſti, qua hominis poteſtate in primo eius aduentu, & mortalis erga viuos adhuc homines exercenda eum locum interpretetur; ſed Chriſti iam immortalis, & erga homines viæ, ac vitæ exacto curriculo. Secundum teſtimonium de Iudiciaria poteſtate, eiuſque exercitio ab Alarcon intentis minime à noſtro Barrada intelligitur: nam etſi capite ſecundo, verſ. fin. ſub titulo, *In iudicium ego veni*, &c. verſ. aut §. *Credidit mendicus ille*, ſub finem aliquid eiuſmodi ſonet, tamen Chryſoſtomi de iudicio occaſionali, ſiue occaſione, vt grauius Phariſæi iudicarentur ex Chriſti, qui non crediderunt, Ethnicis, & ignorantioribus credentibus, aduentu ſententiam ſequitur, & eis verbis explicuit, vt ex anteriori contextu patet, & ex toto contextu paragraphi ſequentis, maxime fine vt autem videret Alarcon quam, & cuius interpretationem ſequeretur: & intercederet in teſtimonio illo ſatis haberet, ſi hæc apud Doctiſſimum Euangeliorum interpretem Maldonatum ad illud caput, & locum numero 39. legiſſet. *Aliam iudicij interpretationem, quam alius quidam Theodoretus affert, nouorum hæreticorum interpres, vt pro iure, ac poteſtate accipiatur iudicandi ineptam iudico.* Addo iudiciariæ eius



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poteſtatis exercitium Chriſti Domini in negotio prædeſtinationis Prædeſtinatorum & negationis prædeſtinationis abſque iniuſta, & iniqua acceptione perſonarum admitti non poſſe: cum diuturniores grauioreſque longe peccatores, quam reprobi plures fuerint, ſint etiam non pauci prædeſtinati: quod, etſi ex mera Dei liberalitate, & miſericordia abſque acceptionis perſonarum vitio fieri poſſit factumque, vt diximus fuerit: at vero ex iudiciaria poteſtate abſque eo vitio fieri nullatenus à Chriſto Domino potuit

7. Denique Herize, (quem ſectatur Arriaga diſp.37. ſect.5.) diſput.29. c.3. n.22. alia ratione ſpecialem hanc meritorum, & voluntatis Chriſti cauſalitatem in negationem prædeſtinationis reproborum probat, vt cauſa electionis comparatiue prædeſtinatorum præ reprobis dici Chriſtus poſſit: ſiquidem nouit ſcientia media oblatione & exhibitione meritorum pro omnibus Deum illos prædeſtinaturum, hos vero non prædeſtinaturum, atque ex ea ſcientia merita exhibuit: quare, & negationem prædeſtinationis interpretatiuè voluit: ſicuti, & quiſquis medium infallibiliter connexum cum effectu aliquo ex ſcientia connexionis eius infallibilis apponit, velle interpretatiuè effectum illum, & indirectè cenſetur. Vtrum idem Herize n.32. & 33. huic modo, & rationi diffidit tandem: & in eis quidem, cuius oppoſitum abſolute intenditur ab apponente effectus infallibiliter connexos cum eo, quod apponitur, nec interpretatiua, nec indirecta voluntas eſt effectus illius, vt in permiſſione peccati conſtat: quæ tametſi voluntas ſit auxilij ſufficientis cui connexum peccatum eſt, eo connexionis modo, quo meritis Chriſti negatio prædeſtinationis connexa eſt, atque à Chriſto præſcitur: tamen, quia bonus auxilij vſus, & peccati potius negatio ſerio à Deo intenta eſt, atque ex ea intentione à Deo confertur indirecta adhuc, & interpretatiua peccati voluntas non eſt: & in re præſente eſt adhuc ratio vrgentior. Siquidem Chriſti merita pro omnium ſalute, & prædeſtinatione Deo exhibita, ipſum, vt omnes prædeſtinet, non cogant ad id tamen ſolummodo inducunt, & conducunt; nuſquam autem, vt alicui deneget prædeſtinationem auxilium vero indifferens ad vtrumvis ſufficiens, ad vtrumvis voluntatem ſollicitat: demum muneri Redemptoris, cui impoſſibilis voluntas negationis ſalutis, & prædeſtinationis expreſſa eſt, repugnat eius negationis indirecta, & interpretatiua: vti Deo ob rationem ſimilem peccati indirecta, & interpretatiua voluntas: cuius enim obiecti voluntas expreſſa alicui eſt impoſſibilis, indirecta, & interpretatiua eius obiecti voluntas eidem repugnat. Referri poſſunt pro extrema ſententia in re præſente DD. alij, qui Chriſtum Dominum, etiam quoad proficua prædeſtinati cauſam prædeſtinationis adæquatam fuiſſe negant: quia inter prædeſtinationis effectus beneficium Redemptoris ſui, Chriſtum nempe ipſum, eiuſque merita recenſent, quæ dubio procul Chriſtus Dominus abſolutis ſuis meritis (quæ ſolum merita ſunt, non autem in ſpe, & per modum pretij, & ſolutionis à nonnullis nuper excogitata) dubio procul non potuit promereri. Hanc difficultatem attigit Soarez ſupra contra Vaſquez, nollens autem, & contra ſeipſum, vt vidimus numero 3. ſub finem. Quoniam vero concluſioni vtrique nobiſque, & aliis fere omnibus communi, aduerſatur vbi eam ſtatuerimus certamine ſecundo opportunius diluetur. Aliunde etiam poſſet ſententia prædeſtinationis adæquatè, quoad prædeſtinatos ſcilicet omnes ex meritis Chriſti impugnari, nec ſegniter contra Doctores plures, vt eodem certam. videbimus, vbi impugnationem proponemus, ac diluemus.

---

## CERTAMEN II.

### *Noſtra ſententia de cauſalitate meritorum Chriſti in Prædeſtinatorum electionem concluſionibus diſtincta proponitur, & probatur.*

1. PRima concluſio Reliquorum à primis Parentibus hominum prædeſtinatorum cauſa prædeſtinationis adæquatè ſumptæ quoad ipſis proficua meritis ſuis Chriſtus Dominus certo, & catholicè fuiſſe dicendus eſt: eſt antiquiorũ Scholaſticorum concluſio, antiquę proinde, & recentioris Scholæ Thomiſticæ Dominicanæ, ac Thomiſticę etiã noſtræ Ieſuiticæ (vt æſtimo) antiquæ illis conformioris omnes referunt, & ſectantur Bañez 1.p.q.23.a.5. §. *Hæc controuerſia*. Mol. diſp.1. in articulum 5. & 4. Valent. d.1. punct.4. § 1. Vaſquez d.94. cit. c.2. & 3. Fonſeca tom.1. met. lib.4. c.2. q.6. ſect.2. concl.3. Soarez t.1.3. p. d.1. ſectione 2. & 1.p. lib.2. de cauſa prædeſt. c.21. Arrubal. d.71. c.2. n.5. Granad. t.2. tract.2. diſp.1 num.5. Tanner. 1.p. d.3. q.4. dub.2. aſſert.3. Arriaga vbi proxime Ioan. Propoſ. 1.p. q.23. art.8. dub.4. n.44 verſ. *Dico Chriſtus*. Probatur ex 1. ad Epheſ. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*, nec, qua *Deo*, ſolum: cum textus de Redemptore ſit expreſſus: qui, vt Deus, Patri in omnibus ad extra cooperans non eſt, ſed vt homo, operibus dignitate, & Deitate filij dignificatis meritoriè, & condigne pretium, & ſatisfactionem exhibuit. Ex quo ſic arguitur quidquid eſt effectus prædeſtinationis in nobis intra benedictionem ſpiritualem Dei in cæleſtibus, id eſt in ordine ad ſalutem ſpiritualem, & æternam eſt: at quidquid benedictionis Dei ſpiritualis in cæleſtibus in nobis eſt in Chriſto, qua homine atque ex eius meritis, & Redemptione eſt: ergo quidquid in nobis effectus prædeſtinationis eſt in Chriſto, ſiue ex eius meritis, & Redemptione eſt: quare & totius prædeſtinationis, vt omnes ſuos ambit effectus omnium, ſaltem reliquorum à primis parentibus (de quibus concluſ.2.) hominum cauſa meritis ſuis extitit Chriſtus. Dices effectiue, & executiue, ſiue ordine executionis totius prædeſtinationis noſtræ cauſam meritis ſuis Chriſtum extitiſſe, ſecus ordine intentionis, quo Deus, & ſalutem omnium prædeſtinatorum intendit, ſaltem inefficaciter, & media efficacia ante abſoluta Chriſti merita etſi per merita illa poſterius natura executiue habenda, anterius natura efficaciter decreuit: in eis vero anterioribus decretis Dei ordine intentionis diuinam prædeſtinationem conſiſtere; alia vero ordine executionis ſubſequentia non prædeſtinationem, ſed eius executionem continere. Contra primo: quia beneficæ illæ voluntates Dei erga prædeſtinatos, benedictiones, & præcipue benedictiones Dei ſpirituales in cæleſtibus ſunt: ergo in Chriſto, atque ex eius meritis eas etiam habuimus, in quo, & cuius meritis benedictiones habuimus omnes iuxta Paulum. Contra ſecundo: quia Chriſtus meritis ſuis gratias, & benedictiones ſpirituales in cæleſtibus nobis obtinuit, non vtcunque, ſed mediatiue, reconcilatiue, & propitiatoriè: quatenus ſcilicet Dei offenſi, grauiterque in peccatores infenſi voluntatem propitiam reddidit illis exhibitis, ipſiſque, vt mediator eos reconciliauit, vt dogma Catholicum eſt: id autem meritis ſuis Deo exhibitis non poſſet efficere, ſi ante merita ſua abſolute exhibita ita Deum erga peccatores placatum ſupponeret: vt eos iam in ſuam gratiam, atque æternam ſalutem elegiſſet ac prædeſtinaſſet. Tertio, quia efficax electio gratiæ, & auxilij efficacis ad ſalutem per merita Chriſti exercitè & executiue obtinenda, poſterius, pugnat cum eorum abſoluta libertate ac merito, ſuoque obiecto contradicit, vt controu.4.d.6. atque hac controu.7.d. anteced. q. vlt. de electione ad gloriam ante præuiſa abſolute merita late monſtrauimus. Oportune Chriſoſtomus ad iam recitata

verba

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

verba dixit. *Per quem nos benedixit per eundem nos elegit*, & Photius apud Erumenium. *Benedixit per filium, elegit per filium, chares fecit per filium.*

2. Quarto: quia textus de prædeſtinatione eſt expreſſus, & electione, nec executione ſolum: continenter enim ſubditur. *Sicut elegit nos ipſos ante mundi conſtitutionem vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum eius per Ieſum Chriſtum in ipſum.* Vbi expreſsè de electione & prædeſtinatione ad gratiam formaliter ſanctificantem, ſiue habitualem, & adoptionis filiorum Dei, nec ſolum de executiua voluntate gratiæ eius, ad electionem, & prædeſtinationem ipſam eſt Apoſtoli ſermo: indéque electionem ad gratias ſpirituales in cœleſtibus, ſiue quovis gradu, & modo ad cœleſtem gloriam, & æternam animi beatitudinem ſpectantes, & conducentes meritis Chriſti (vt dixerat) deberi digna Apoſtolo, & Spiritu Sancto ratione Theologica confirmat: Etenim, ſi infenſos ſibi, immo & infenſiſſimos peccatores meritis Chriſti ita placari potuit, placatuſque de facto Deus, eiuſque voluntas fuit, vt infenſione, inimicitiiſque depoſitis, ac neglectis, eos nihilominus in ſui amicitiam, & adoptiuam filiationem vt eorum meritorum interuentu & intuitu clementer relegerit, debitæque in illos iræ, & vindictæ parcens benigniſſime prædeſtinarit: ergo eiſdem etiam meritis intercedentibus motus Deus ad gratias reliquas ſpirituales in cœleſtibus, ſiue ad vitam æternam conducentes, ipſamque vitam æternam eoſdem elegit ac prædeſtinauit. Patet conſequentia. Minor quippe diſtantia à voluntate Dei vincenda, atque ſuperanda eſt in deſtinatione iam electi ad amicitiam, & adoptiuam filiationem, ad deſtinationem eius ad reliqua dona ad æternam ſalutem conducentia, atque ipſam gloriam (ad quam ex amicitia & filiatione adoptiua ius habet hæredis eodem Paulo teſte & Catholica fide conteſtante) quam à deſtinationis ad pœnam mortemque, & vindictam, tum poſitiuam, tum negatiuam beneficiorum ſcilicet Dei maxime amicitiæ Dei, & ad ipſam conducentium ſtatu per peccatum. Nec dici poteſt prædeſtinationem, & electionem ad gloriam, ac media, quibus prædeſtinandi infallibiliter perſeuerent, ac certo illam conſequantur multum valde vlterioris gratiæ, & beneficij Dei addere ſupra reconciliationem per gratiam adoptionis abſolute, quæ temporalis eſſe abſolute poſſet, nec cum perſeuerantia, & abſoluta gloriæ conſequutione æternum coniungenda: ex eo autem quod meritis Chriſti debeatur illud quod minus eſt deberi vlterius illud quod à Deo efficit donum, & præmium maius, non magis inferri legitime poſſe, quam ſi ex eo, quod quis totius cuiuſpiam partem fuerit promeritus, totum adæquatè ſumptum meruiſſe arguatur. Reſpondetur in meritis finiti valoris inſtantiam locum habere, ſecus in meritis Chriſti valoris infiniti: & quamvis eis exhibitis abſolute liberum Deo fuerit & totum beneficij quod in prædeſtinatione, & electione ad gloriam continetur: immò, & partem eius electionis ſcilicet ad gratiam: aſt cum ſtatu apud omnes Theologos regula taxandi præmia meritis Chriſti, cum in ſe, tum in nobis ab ipſo recipienda, atque recepta ex poſſibilitate, & non repugnantia, ea in ſeipſo vel in nobis recipiendi: atque ex alia parte tota difficultas in propitiando nobis peccatoribus Deo, quem infenſiſſimum peccatis noſtris habebamus fuerit optime Paulus eis meritis infinitis Chriſti, quibus infenſionem depoſuit nos ad ſui amicitiam eligens, vlterius beneficium illud adæquate ſumptæ prædeſtinationis & electionis ad perſeuerantiam, & gloriam conſequendam eiſdem meritis deberi optimè intulit: oſtendens nobis non ex conſequentiæ rigore metaphyſico, ſed ex reuelato vtroque præmio reuelatam etiam ſibi, quæ Deo adfuit ab vno præmio ad alterum meritis Chriſti tribuendum congruitatem.

3. Eo ipſo cap. ad Epheſ. 1. extant pro eadem concluſione, & veritate teſtimonia quam plurima vt totum ad Eccleſiæ intimandam editum à Spiritu Sancto per Paulum videatur: Inferius enim numero 7. habetur: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius*, numero 9. *Sacramentum voluntatis diuinæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo* (Chriſto ſcilicet) *in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*, numero 11. *In quo* (ſcilicet Chriſto) *nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati*, & de prædeſtinatione ad gratiam conſtat ex 3. ad Roman. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et quamvis eo ipſo ad gloriam, ad quam ius nobis iuſtificatio & gratia gratum faciens affert, ex meritis Chriſti electos nos virtute doceat, formalirer tamen id docuit Paulus c. 5. 6. & 8. atque 1. ad Timot. c. 2. & ad Titum c. 3. & de omni gratia (omnem ſcilicet prædeſtinationis effectum complectente) & beneficio Dei argumento à contrario ex peccato, ipſumque malis comitantibus, & ſequentibus prauum hominem, probat ad Rom. 5. ſcribens: *ſicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Probatur vlterius ex 1. Ioannis, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & ex 1. ad Timott. 2. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Etſi enim ea intentio ſalutis hominum ad non prædeſtinatos etiam extendatur, ſicuti, & Chriſti illuminatio venientium in mundum, eo quidem modo, quo & intentio ſalutis vniuſcuiuſque, & illuminatio eſt intelligi debet; etſi erga prædeſtinatos impenſior ſit ſalutis intentio, & illuminatio per efficacia, & congrua media: reproborum per ſufficientia ſolum, vt diximus: id enim ſatis, vt omnium velle ſalutem omneſque illuminare, vere, & abſolute dicatur: ex ea vero intentione media illa vtriſque à Deo eligi, & diſponi per Chriſti ſolum merita, ac ſubinde prædeſtinatis quæ efficacia, præter teſtimonia data ſcripturæ, ad eum locum obſeruauit Auguſtinus epiſt. 59. q. 6. ſcribens: *vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, vt illud, quod dixerat, omnes vult homines ſalvos fieri, nullo modo intelligatur præſtari, niſi per mediatorem, non Deum ſolum, quod ſemper verbum erat, ſed hominem Chriſtum Ieſum cum verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ex quo etiam loco, & ſimilibus aliorum Patrum apud Benedictum Iuſtinianum Magallan. in Pauli locum, & apud Maldonatum in 1. Ioan. Herize cit. t. 2. duplicem in Deo ſalutis hominum intentionem fuiſſe contendit. Alteram ante Adæ lapſum & imminens aliorum vel contractum originale (iuxta varias Doctorum diſpoſitiones ordinis decretorum Incarnationis) & quæ ad generalem ſolum prouidentiam ſpectet: alteram poſt incarnationem, & merita Chriſti præuiſa. Sed vero cum peccato Adæ præuiſo Deus ab intentione illa prima ſalutis omnium non deſtiterit, ſiquidem ex illa cunctis prouiderit de Redemptore ſuperfluo ſecunda illa altera intentio ſalutis hominum ac ſine fundamento vllo rationabili inducitur, vel prima illa ceſſeſſaſſe dicetur, vt ſecunda ſuccederet. Secunda deterius adhuc (eo etiam omiſſo) aſſerit Chriſtum Dominum intentionem illam ſalutis omnium meruiſſe, cum ex intentione ſalutis omnium Chriſtus fuerit decretus, ac ſubinde præcedentem exiſtentiæ ſuæ intentionem illam nullatenus potuerit promereri. Nec Auguſtinus, Patreſque alij citati de ea intentione loquitur, ſed de omni ſolum, quod ex ipſa præſtandum, præſtitumque hominibus fuit, vt verba Auguſtini præ ſe ferunt, nec loqui potuerunt: ſiquidem *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem* incarnatum Dei verbum fuiſſe fides Catholica Symboli nobis, atque ipſis ſemper fuit.

4. De gratiis omnibus & effectibus prædeſtinatorum ex meritis Chriſti adæquate ſumptis, meritis Chriſti illas deberi ſtatutum hactenus fuit. An verò omnes prædeſtinati; nullo excepto) fuerint ex meritis Chriſti adæquate prædeſtinati vertitur in quæſtionem: atque aſſerunt plures ex citatis locis Pauli, qui nos indefinite redemptos, electos, & prædeſtinatos adeo in Chriſto & per Chriſtum docet quod tantundem valet, ac ſi de omnibus diceret, & teſtimon. ad Epheſ. 1. num. 7. recitato ad initium numeri 3. de omnibus expreſsè loquitur, *inſtaurare omnia*, &c, & ſubiuncto inferius teſtimonio ex 5. ad Rom. *ſicut per vnum hominem*, &c. *ita gratia Dei*, &c. *in plures abundauit*, & epiſt. Ioan. 1. c. 2. *ipſa eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*: vbi omnes mundi



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

huius, quandocunque, incolæ comprehenduntur. Vnde merito Proſper ad obiect. Vincentian. reſponſ. 1. *Sanguis Chriſti Redemptio eſt totius mundi*, & 1. ad Timott.2. *vnus enim Deus, vnus, mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit in Redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis.* Et ratione probatur communiter: quia, cum ex fine aduentus Chriſti & incarnationis in noſtri Redemptionem, tum ex pretio, valoréque, & meritiuo, & ſatisfactorio meritorum, ac mortis Chriſti infinitis ad omnium omnino Redemptionem, ad omnemque prædeſtinatiuam gratiam, & vltra infinitè extendi complectique poſſe citra dubium eſt: quod autem extenſa de facto eius merita & ſatisfactio fuerit Chriſto Domino glorioſius eſt: ac ſubinde ex ſtatu Theologico principio concedendum: cuius meritis præmium omne poſſibile in his, quæ Deus de facto poſuit, præſtitum de facto à Deo fuiſſe, eiuſque merita (etſi abſque illis præſtari à Deo poſſent) expectata à Deo fuiſſe, vt in eorum præmium præſtarentur, apud Theologos ſtatutum eſt: cæterum, vt in iis, quæ de facto Deus, cum nobis, cum Chriſto etiam, eiuſque humanitati dedit, data eius infinitis meritis de facto in præmium decernantur examinare rigide, & ſubtiliter oportebit, quænam ex illis abſolutam Incarnationis, Chriſtique ac meritorum eius exiſtentiam abſolute anteceſſerit. Cum enim Chriſtus, eiuſque merita non, niſi abſolutè exiſtentia, mereri aliquid abſolute poſſint: quæ anterius natura ad Chriſti, ac meritorum eius abſolutam exiſtentiam, ſiue Chriſti humanitati, ſiue hominibus collata à Deo beneficia ſunt, ob eius merita præſtita adeo non fuiſſe certiſſimum, atque euidentiſſimum eſt: non quia ad ea, immò vltra infinities, plura, & maiora eorum meritorum valor non ſufficeret; ſed quia cum ante, & abſque eis collata abſolute à Deo ea beneficia ſupponatur, nec poſterius natura, nec dependenter ab eis meritis abſque multiplici contradictione collata fuiſſe aſſeri poſſunt. Quæ autem quorumque Prædeſtinatorum beneficia, & gratiæ collatæ abſolute ante Chriſti, atque operum eius abſolutam exiſtentiam ſupponantur, ex ordine decretorum incarnationis ab vnoquoque præſcripto definiendum cuique erit, vt conſequenter Theologiſetur: iuxta præfixum vero à nobis controuerſ. de Incarnat. de ſolis primis parentibus (quos proinde præſenti concluſione noluimus incluſos) poteſt eſſe controuerſia expedienda inferius concl.2. vniuerſales vero ſcripturæ locutiones, paucorum exceptioni ad quam ratio firma Theologica ex locis aliis ſcripturæ & Patrum dogmatibus, & legitima illatione cogamur, minime officiunt.

5. Duo autem ſuperius attacta atque huc oportunius diluenda remiſſa contra primam hanc concluſionem facere poſſunt. Alterum: quod Chriſtus ipſe Redemptor, & gratiæ auxilia collata ipſi ad merendum, ſub eius merita, atque abſolute ſupponuntur, cadere ſine contradictione nequeant, vt dicebamus nuper: ex alia vero parte cum omnium, & ſingulorum prædeſtinationis effecta ſint: ergò nullius noſtrum prædeſtinationis, ſecundum omnes eius effectus, atque vt ad eos omnes illa extenditur meritis ſuis adæquata cauſa extitit Chriſtus, ſubſumpta minor probatur: etenim, quod ex intentione ſalutis prædeſtinatorum Deus ipſis de Redemptore Chriſto prouiderit dubitari non poteſt: cum ex intentione ſalutis, etiam reproborum, datus nobis Chriſtus Redemptor fuerit: idque ex dogmate fidei vniuerſim, & indefinitè ſtatuente *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Nec ſolum ex ea intentione ſalutis prædeſtinatorum, ſed ex ſcientia media certa, & infallibili Dei de effectu prædeſtinatiuæ ſuæ voluntatis ſpecailis erga prædeſtinatos, ſi veniret, atque illis gratiæ auxiliis mereretur, æque atque ex ſcientia media boni noſtri vſus, & conſenſus prædeſtinatorum auxiliis gratiæ à primo ad vltimum pro iuſtitia finali ſeruanda, quæ obinde ipſis ordine prædeſtinatiuo, ſiue ex prædeſtinatione à Deo donantur: ergo, & Chriſtus & auxilia ipſi data ad merendum ad ſeriem, ordinemque concatenatum effectuum prædeſtinationis cuiuſque noſtrum ſpectat, & primum proinde beneficium eſt, vnde is prędeſtinationis ordo inchoatur. Inde vero prædeſtinationis adæquatæ ſumptæ, &, vt omnes ſuos effectus reſpectu vniuſcuiuſque prædeſtinati ambit, & complectitur, Chriſtum meritis ſuis cauſam non eſſe euidens eſt, vt patet. Reſpondent Albertus in 3.d.10. quæſtione 3. articulo vltimo, ſanctus Thomas quæſtione etiam 3. fine, S. Bonauentura d.17. articulo 1. quæſtione 3. & alij antiqui, quos ſequitur Vaſquez d.94. & Daza ſupra citatus: effectus prædeſtinationis cuiuſque ea ſolum beneficia cenſeri, quæ media peculiaria cuique prædeſtinato ſunt prædeſtinationis ſuæ, & ad ſalutem infallibiliter conſequendam; Chriſtum autem meritis ſuis nulli prædeſtinato medium peculiare prædeſtinationis, & ſalutis certo, & infallibiliter ab ipſo conſequendæ eſſe, ſed potius prædeſtinatis omnibus commune: quare, etſi, vt expendimus cunctis ad prædeſtinationem, & ſalutem certo conſequendam conducat, non effectus prædeſtinationis alicuius, ſed cauſa potius efficiens intentionalis omnium debet cenſeri. Non quieſco, ac proinde non acquieſco: ex dictis enim conſtat Chriſtum meritaque eius à Deo eſſe ex *præſcientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur* quod ipſum eſt ex prædeſtinatione, ac ſubinde eius effectus eſſe. Quod enim alterius prædeſtinati gratiæ etiam & beneficium ſit, nihil gratiæ, & beneficij, & infallibilitatis conſequendæ ſalutis ob hoc tollit, aut minuit. Maxime, cum pro quovis prædeſtinato, eiuſque de reliquo prædeſtinatione in ſolidum, vt aiunt, ita Deus de Redemptore Chriſto eiuſque meritis prouiderit, ac ſi ſoli illi eſſet de reliquis beneficiis ad ſalutem de facto obtinendam prouidendum, ac ſolus ille de reliquo eſſet prædeſtinandus: vt diximus de Incarn. controu.2.

6. Melius reſpondetur Chriſtum Redemptorem, eiuſques merita ex prouidentia communi, & intentione erga omnium ſalutem eſſe à Deo prouiſa; non autem ex prædeſtinatiua erga hominem vllum, ſcientiaque conditionata prædeſtinatis aliquorum: etſi enim, neque peccati occaſione, ab intentione ſalutis creaturæ ſuæ benigniſſimus Dominus non abſtiterit; quandiu tamen filius incarnatus Mediator, & Redemptor, atque eius opera valoris infiniti abſolute non extiterunt, interceſſeruntque, vt iuſta, & grauis eius in peccatores infenſio paccaretur, non eo vſque de odio remiſſum à Deo eſt, vt de prædeſtinationis in aliquem, nedum in omnes peccatores, ingenti beneficio cogitarit: quare hominibus de Redemptore, vt ſufficienti ſolum omnibus, & æquali remedio prouidit: id quod ex ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ directione actum, & ex communi prouidentia: futuritione conditionata prædeſtinationis aliquorum ob merita illa, atque eius conditionata ſcientia ſimplicem intelligentiam illam directricem, identice etiam, comitante, neque attenta pro eo ſigno neque intenta: ad eum modum, quoad prouidentiam gratiæ ſufficientis reprobis præparatio & prouidentia ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſolius de gratiæ conducentia vt rectè operentur, nec peccent, ſed ſaluentur, directione procedit; non autem ex euentus ſub ea gratia conditionatè futuri ſcientia media, quæ, identicè etiam, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ directricem in Deo ita prouidente, & omniſcio comitatur. Ex quibus liquet: Chriſtum mediatorem, gratiamque auxiliantem ad eius merita ab ipſo exhibita, meritáque, quantumvis prædeſtinatis proficua ſpecialiter ad ſalutis conſequutionem, effectus prædeſtinationis non eſſe, ſed prouidentiæ communis, totiuſque prædeſtinationis, quæ poſt modum à præparatione auxiliorum efficacium pro prædeſtinatis ob merita Chriſti inchoatur, cauſam adæquatam. Alterum obijci contra eandem concluſionem poterat. Nempe antiquorum Patrum Chriſtum præcedentium gratiam omnem, immò vllam, ſuis meritis obtinere minimè potuiſſe: quare neque eorum prædeſtinationem: quia nec oratione pro ea, quam anteacto iam præſciebat ab ipſis acceptam: nec gratiarum actione, quæ abſolutè collatum receptumque beneficium pro naturæ priori ſupponit; nulla autem alia via applicari hominibus Chriſti merita potuerunt, niſi alterutro, cum tamen ſpeciali applicatione eorum opus ſit, vt Deus ob illa gratiam ipſis præparet, & largiatur. Obiectio hæc contra alios plures qui applicationem hanc ſpecialem neceſſariam reputant ardua valde eſt, non autem contra nos, qui eam nullatenus neceſſariam putamus fuséque oſtendimus controuerſia 2. de incarnatione

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tione atque ad hanc in terminis difficultatem controu. 2. diſput. 2. quæſt. 4. certam. 2. Denique quo pacto Chriſtus gratiam progenitoribus ſuis omnem fuerit promeritus, etiam qua illius progenitores eſſe mouerint, ac proinde ipſius exiſtentiam abſolutè antecedentem, ibidem quæſt. 6. certam. 2. oſtendimus. Quare repetendum hic non eſt maxime, cum huiuſmodi gratia ad prædeſtinationem, de qua hic agimus, & ſalutis æternæ meritum, & conſecutionem directè non ſpectet, ſed ad alium finem, præmiumque aliud diuertat.

Iam de merito Chriſti prædeſtinationis primorum parentum adæquate ſumptæ (de quo concluſione abſtraximus prima) cauſa fuerit necne? ſubtilior eſſe poteſt ob difficultatem ſubiiciendam diſputatio. Etenim dona primis parentibus in ſtatu innocentiæ adeo infuſa, cum auxiliantis, tum habitualis gratiæ, tum gratiæ augmentum, eorum in Deum charitate perfectiſſima, antequam pomi comeſtione delinquerent, Chriſti aduentum ac merita proinde abſoluta ipſius pro naturæ priori anteceſſerunt: quare ob eius merita, nec primis parētibus collata à Deo ſunt, nec dari in ordine decretorum incarnationis, qui de facto fuit, à nobiſque, & patribus admittitur controu. 3. de incarnat. l. 1 & 2. nullatenus potuerunt: cum certum ex ibi dictis à nobis ſit, Chriſtum Dominū non, niſi poſt abſolute præuiſum primorum parentum peccatum fuiſſe adeo abſolutè decretum: atque ad peccatum illud, cum gratia auxilians, vt illi præceptum obſeruarent, nec tranſgrederentur, tum reliqua à Deo infuſa ipſis dona, atque ab ipſis etiam amore in Deum, aliiſque piis actionibus, & affectibus adquiſita præcepti tranſgreſſione, & peccato amittenda, illorum menti oberrarint, ne tanto ſui malo, atque in beneficium munificentiſſimum Dominum tanta ingratitudine delinquerent, iam verò ex eis auxiliis doniſque ſupernaturalibus & infuſis à Deo gratis, & ipſorum honeſto virtutum exercitio ante præcepti tranſgreſſionem attributis eorum prædeſtinationem (prædeſtinatos enim protoparentes noſtros pie fatentur atque ad quæſtionem præſentem ſupponitur) inchoatam eſſe, atque ex meritis Chriſti continuatam poſt modum, & abſolutam, vt minimum, fuiſſe facile probatur. Etenim ad primorum parentum pœnitentiam, quia ad Dei gratiam redicre ea omnia mortua, quibus gratior eorum culpa, malumque ipſis maius effecta fuere, mentibus ipſorum propoſita ſunt, vt vehementius dolerent: ea vero fuere dona omnia ſupernaturalia ipſis à Deo, ipſorum pro ſtatu innocentiæ amatore manificentiſſimo, gratis infuſa, ac inſuper gratiæ augmentum ab ipſis ex Dei auxilio partum & quæſitum: quibus omnibus tranſgreſſione illa præcepti priuati ſunt & departa ſibi virtutum exercitio gratia etiam, vt primo collata eſt ad prædeſtinationis effectus pertinere non leuibus fundamentis conſtabit diſp. ſequent. Cum ergo hæc omnia, quæ ad primorum parentum prædeſtinationem vti eius effectus proprij ſpectant, ipſis Chriſtus poſterius natura decretus promereri non potuerit, nec prædeſtinationem ipſorum adæquate ſumptam & ſecundum effectus omnes ſuos, quos concernit, & ambit, promereri potuiſſe concludi manifeſtè videtur.

Sit nihilominus ſecunda concluſio: Chriſtus Dominus Protoparentum prædeſtinationem adæquatam & ſecundum omnes ſuos effectus ſumptam fuit abſolutè promeritus: probatur 1. ab authoritate ſcripturæ, & Patrum indefinite aſſerentium pro nobis, & pro omnibus hominibus Chriſtum Dominum veniſſe, paſſum, mortuumque eſſe: quod ſaltim de iis, qui in maſſa perditionis. (in qua Prothoparentes noſtri procul dubio fuerunt) extitere intelligendum dogmatice eſt. ſecundo ex ſcriptura Patribus, & Conciliis ſupradictis conſtat præuaricatos præuaricatoreſque omnes homines (in quibus protoparentes haud dubio ſunt) omni benedictione, gratiaque ſpirituali in cœleſtibus per Chriſtum, & in Chriſto atque ob eius merita eſſe benedictos: atqui in eiuſmodi benedictionibus Protoparentum noſtrorum præcipue habendæ ſunt effectus prædeſtinationis omnes, & maxime ipſa prædeſtinatio. Ratione inſuper Theologica ſupra facta pro concluſione prima. Quia quæcunquæ gratiæ dona hominibus collata ex meritis Chriſti collata fuiſſe, dummodo eius abſolutam exiſtentiam pro naturæ priori abſolutè Deo collata non præceſſerint, tenendum eſt: atqui nullus effectus prædeſtinationis Protoparentum noſtrorum atque adeo nec prædeſtinatio ipſa prout ad quēpiam eorum terminata proritate naturæ Chriſtum, eiuſque merita anteceſſit: ergo omnes effectus prædeſtinationis protoparētum noſtrorum, ac ſubinde prædeſtinatio ipſorum adæquate ſumpta, &, vt ad omnes ſuos effectus terminatur, eoſque omnes ambit, & coercet, ex meritis Chriſti ſunt. Minoris probatio, & argumenti huius, & præcedentium ab authoritate robur totum erit, & aperta difficultatis propoſitæ euacuatio, atque ſolutio. Et quidem dona gratiæ auxiliantis, & gratum facientis, tum à Deo gratis infuſa, tum propria induſtria, & gratia auxiliante primis parentibus parta Chriſti aduentum, & eius merita abſolute anteceſſiſſe, continuataque ſerie ad eorum meritorios, actus, & gloriam, quam prædeſtinatione ſua protoparentes obtinuerunt conduxiſſe etiam, ac naturæ etiam priori anteceſſiſſe difficultas propoſita demonſtrat, non autem ex ea præcedentia conducentia, & continuatione dona illa effectus predeſtinationis eſſe conuincitur; immò verò tales non eſſe, ſed alterius prouidentiæ ad prædeſtinationem ipſorum, eiuſque effectus primos, & initium dicendum eſt ac faciliimè probandum. Etenim dona illa gratiæ pro innocentiæ ſtatu primis parentibus, & gratis à Deo data, & adquiſita, ex ſalutis eorum intentione, & prouidentia non prædeſtinatiua ipſorum, ſed communi, ac ſimili, pro eo ſtatu, ei, quæ pro ſtatu naturæ lapſæ de reproborum ſalute habetur orti prorſus fuere: ergo non ſunt prædeſtinationis illorum effecta. Probatur antecedens. Etenim prouidentia illa fuit, vt gloriæ æternæ vitam, & ſalutem ſeruato, & perſtante innocentiæ ſtatu, vitæ illorum perpetuitate, nuſquamque morte illam interrumpente, & interueniente per præcepti obſeruationem, atque innocentiam, virtutum per tempus aliquod, Deo ſoli notum, nec nobis obinde temere diuinandum exercitio auctam, ac illuſtratam conſequerentur: ad quod de ſufficientibus ſolum mediis, non autem de efficacibus (vti ad prædeſtinationem oportebat) prouiſum ipſis adeo fuit: ac proinde ex prouidentia ſimili ei, quæ de reprobis pro ſtatu mortalitatis habetur. In eo vero mortalitatis ſtatu prouidentiæ alius ordo inchoatus eſt præfixis aliis omnino legibus ſtatus viæ morte cuiuſque terminandæ &c. Atque pro reprobis auxilia ſufficiēria, pro prædeſtinatis efficacia fuerunt ex mortis Chriſti prouiſa; quæ tamen ad conſequendam ſalutem ab hominibus in ſtatu innocentiæ immortalitatiſque, vt prouidentia illa prima pro ſtatu innocentiæ hominum diſpoſitum ſufficienter fuerat, conducere, ſine contradictione non poſſunt. Proinde effectu prædeſtinationis prædeſtinatorum omnium (ac ſubinde Protoparentum noſtrorum) ab auxiliis efficacibus poſt peccatum à Deo datis, quare & prædeſtinatio ipſa tota inchoatur atque tota, tota meritis Chriſt debetur.

Dico tertio Prædeſtinationis, adæquate etiam ſumptæ fere omnium Angelorum (paucis nimirum Protoparentum cuſtodibus, & tentatoribus exceptis) cauſa meritis ſuis extitit Chriſtus. Concluſionem hanc non video ſolide poſſe ab authoritate probari: illud enim (quod magis illi conſonare, atque adfauere videtur) ex 1. ad Epheſ. num. 9. *Sacramentum voluntatis diuinæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt.* Nihil probat, inſtauratio enim non niſi de antea perditis, ac deturpatis, confractiſque, aut detritis intelligi poteſt: ac proinde de Angelis intelligi ad rem præſentem nequit cum boni, nec perditi confractiue, nec deturpati fuerunt, aut detriti; qui vero deturbati, confractique, ac deturpati fuerunt dæmones, nuſquam fuerunt (nedum meritis Chriſti) inſtaurati: inſtauratio igitur in cœlis ex meritis Chriſti facta de reparatione ſedium malorum Angelorum, quæ ex prædeſtinatis per Chriſtum hominibus æquali gloria, qua, ni eſſent illi præuaricati, eas obtinerent, replendæ ſunt (vt Patres & Theologi docent) intelligi ſolummodo poteſt. A Theologorum authoritate deſtitutam cenſet Aluarez, Vaſquez, VVadingo, Lugo, Bornal, alijque Thomiſtæ vetuſtiores, qui primam præſertim gratiam Angelis etiam bonis promeritum fuiſſe Chriſtum negant: idque ex communi adeo Theologorum ſententia eſſe putant, vt abſque ſingularitatis nota aſſeri oppoſitum non poſſe iudicent, vt vidi-

mus

mus controu.6 de incarnat.diſp.2.q.2.cert 1. n.4 immerito tamen, cum plures Theologi ætatum omnium primores, quos ibi num. 3. retulimus primam etiam, & auxiliantem, & iuſtificantem gratiam, reliquaque ſupernaturalia dona Angelis cunctis promeritum Chriſtum fuiſſe, quare, & prædeſtinatis adæqautè ſumptam prędeſtinationem,aſſerunt expreſſe; immo vero, qui Chriſtum Dominum ante abſolute præuiſum Adæ peccatum fuiſſe decretum docent,ita cenſere debent, vt conſectarie theologizentur:ne eorum quę in præmium meritis Chriſti dari, citra repugnantiam incommodumque vllum, adeo poſſunt,datum de facto negetur: in noſtra vero ſententia controu.3.de Incarnat.d.1.q.4.d.2.q.cert.3. de præuiſione abſoluta peccati Adæ ante abſolutum incarnationis decretum,maior eſt difficultas.etſi de omnium omnino Angelorum gratiis etiam omnibus,& adæquata prædeſtinatione abſolute loquamur,inſuperabilis. Idcirco cuſtodes, & tentatores Protoparentum Angelos excipimus, quia eorum, vel obſeruatio, vel tranſgreſſio impoſiti Angelis præcepti Protoparentum peccatum natura anteceſſit, ſiue, vt cuſtodes tales à Deo deputarentur, bonumque, & præcepti obſeruationem alumnis Protoparentibus ſuaderent, ſiue, vt cacodæmones vero eos ad tranſgreſſionem præcepti tentarent, & inducerent: quare, & gratia prima vtriſque adeo collata, vt obedirent, nec præuaricarentur, Protoparentum etiam peccatum pro naturæ priori, ac ſubinde Chriſtum anteceſſerit, nec potuit ſub eiuſdem Chriſti merita cadere. Ex huius autem exceptionis probatione de gratia, etiam prima, reliquorum Angelorum ex Chriſti meritis fuiſſe quare, & eorum adæquate ſumptam prædeſtinatiouem facile à contrario probatum eſt. Si quidem nulla reliquorum, gratiæ,etiam primæ, ſupernaturalia dona ad peccatum protoparentum, ac ſubinde atq; ad Chriſti aduentum,ac merita ſuppoſita in reliquis Angelis pro priori naturæ, quare & ea etiã fuiſſe Chriſti meritis donata (vti abſque repugnantia, & incommodo vllo dari potuerunt)in bona Theologia fatendum eſt. Et hæc pro tertia noſtra concluſione ſatis: de cuius principio,nempe merito Chriſti reſpectu gratiæ Angelorum, & quorum Angelorum fuſe egimus controu. 6. de incarnation.d 2.q.2 certam. 2. & 3.

Dicendum eſt quarto: præfatis,ſiue Angelis,ſiue hominibus prædeſtinatis,prædeſtinationis ſuæ non ſolum, qua eorum dilectio abſolute, ſed, qua præ reprobis non prædeſtinatis electio eſt,meritis ſuis Chriſtus Dominus cauſa fuit:eſt contra Soarium, & aſſeclas; noſtri vero Vaſquez & ſequacium concluſio.Et quamuis de nomine ſolum & modo loquendi eorum diſſidium eſſe poſſit,cum catholice de re ipſa ipſis conueniat, reliquiſque Doctoribus catholicis debeat conuenire(Chriſti ſcilicet merita ad omnium hominum ſupernaturalia omnia dona, & prædeſtinationem promerendam extendi, atque à Chriſto Domino ex intentione ſeria ea omnia, & præfatis omnibus obtinendi fuiſſe Deo exhibita,quin, vt reprobi nõ prædeſtinarẽtur aliquodChriſti opusDeo præſtitũ fuerit,aliquaue eius oratio interceſſerit vt contra Alar. cor.ſupra diſſeruimus) tamen modus hic loquendi. Vaſquianorum & noſter retinendus eſt, quia ſcripturis conformior:cum Paulus electionis nomine(nec dilectionis ſolum) ad fidem, gratiam, gloriamue à Deo ordinatos, & prædeſtinatos appellet: atque in Euangelio electi ſæpe, & expreſſe dicantur prædeſtinati locis ſupra citatis aliiſq; pluribus, quæ facile ex concordantiis ſcripturæ poſſunt proferri:electioautem,& electus prælationem electi. Reſpectu non electi proprietate ſermonis ſignificat, vt Soarius ipſe fatetur,& ſupponit vt oppoſitam ſtatuat concluſionem. Et quidem ſi ſpecialis aliqua meritorum ſuorum ex parte Chriſti pro prædeſtinatis admittatur facile difficultas Soarij à ratione expedietur; ſed ea ſpeciali applicatione non admiſſa, expedienda à nobis, nec difficulter eſt. Eſt autem difficultas, quia cum electio comparatiue ſignificet, ſcilicet vnius affectiuam aſſumptionem, aliis relictis, ac ſine horum proinde relictione eligi, aſſumique affectiue præ illis ille alter nequeat:qui aliorum relictionem meritis ſuis non cauſat, vti non cauſauit Chriſtus merita ſua pro omnibus offerẽs,prædeſtinationem electorum prout electio, proprie, & præ aliis non prædeſtinatus eſt, cauſare non potuit meritis ſuis; ſi, prout dilectio prædeſtinatorum eſt,procul dubio cauſauerit.Cæterum,ſi vim aliquam argumentum hoc habet Soarij contra ipſum, & Patrum frequentiſſimam locutionem; nec nos ordine vllo,etiam executionis, electionis noſtræ ad gloriam noſtris meritis, nec Chriſtus meritis ſuis electionis noſtræ ad gratiam cauſam eſſe dici abſolute poterit. Secundo:nec dici poterit nos è Dei liberalitate, & miſericordia prædeſtinatos per electionem gratiæ ad gloriam fuiſſe: vt ſcriptura & Patres paſſim affirmãt.Siquidem,nec Dei liberalitas,& miſericordia,nec Chriſti merita, vt reprobi non eligantur ad gratiam, atque per electionem gratiæ ad gloriam ſunt cauſa, nec merita noſtra vt reprobi à gloria de facto, & executiue ſecludantur. Non ergo opus eſt,vt aliquis eius, quod propria ſua ſignificatione aliqua alia concernit, cauſa propria abſolute ſit,ac dicatur, ea omnia quæ concernuntur ab ipſo cauſari, ſed ſolum, quod ſignificatur directe, & in recto, vt aiunt, vndecumque reliqua, quæ indirectè, & in obliquo concernuntur, & ſignificantur appoſita ſint, & cauſentur. Patet in mutationum omnium cauſis, quarum nulla negationis formæ in ſubiecto præcedentis cauſa eſt, ſed aliunde poſitam ſupponit, & ſolam formam in ſubiecto illo directè ponit, atque inde mutationis illius cauſa abſolute eſt, ac vere nuncupatur. Item cum alios non eligi de facto effectus negatiuus, ſeu electionis defectus, vt eius cauſa de facto Chriſti merita fuerint, ſatis videtur eorum electionem de facto. Et ſi non ex eorum impotentia,& natiua inclinatione, ab eis non eſſe cauſatam:ſiquidem verum abſolute eſt illorum electionem non eſſe meritis Chriſti cauſatam, cum cauſata poſitaque in rebus abſolutè nullatenus fuerit.Ac demum:cum ita Chriſtus Dominus merita ſua pro omnium ſalute,prædeſtinatione,& electione indifferenter vniuerſim, & communiter humana ſua voluntate Deo exhibuerit,& obtulerit, vt tunc etiam voluntatem ſuam in diuinam reſignauerit, atque anticipato, quoad eligendos, relinquendoſque Dei voluntati, vti (in omnibus ſemper) conformauerit, ex ea reſignatione, & conformatione anticipata, id totum, quod ea in re præſtitutum à diuina voluntate fatemur,meritis, & voluntate Chriſti factum debemus fateri: eſt prædeſtinatio etiam, vt electio prædeſtinatorum præ reprobis eſt à Dei voluntate procul dubio eſt, & cauſatur: ergo & Chriſti voluntate, & meritis eſt habita,etiam prout eſt reproborum relictio.

## QVÆSTIO VI.

### *An aliquis purus homo prædeſtinationis aliorum meritis è Dei gratia ortis cauſa eſſe poſſit, ac de facto fuerit.*

QVæſtio hæc quidquid ad prædeſtinationis creaturam rationalium cauſam diſputandum reſtabat, abſoluet in puris autem hominibus reliquos à Chriſto Domino homines, etiam Deiparam) comprehendimus.

## CERTAMEN I.

### *De poſſibili quæſtio deciditur.*

1 CIrca poſſibilitatem prædeſtinationis adæquatè ſumptæ creaturæ rationalis ex meritis puræ creaturæ alterius duplici ex capite eſſe poteſt difficultas.

Prima abſolutè loquendo, nullaque alia facta ſuppoſitione. Secunda ex ſuppoſitione, quod ex Chriſti meritis habita à Deo de facto fuerit creaturarum rationalium,vt nuperos tendimus & ex hac ſuppoſitione ſpecialis difficultas eſt:quia cum dignitas Chriſti, atque operum eius meritiuos

meritiuus valor talis tantuſque ſit, & auxiliis omnibus creaturæ cuiuis rationali ad orationem meritumque omne habendum ſit cauſa, & natura ſubinde prior, illico, atq; ante omne meritum creaturæ alterius, prædeſtinandi videntur, quotquot Deo prædeſtinandi videbuntur Non ſolum quia vlteriora alterius merita expectare, vbi infinita Chriſti merita adſunt, ſuperfluum omnino eſſet ( id enim ex natura rei legeque prædeſtinandi ordinaria fieri non poſſe ſolummodo probaret non autem ea etiam ſuppoſitione de potentia adhuc abſoluta) ſed quia, & meritis, & dignitati Chriſti indecẽs videatur, ac proinde in ea ſuppoſitione nullatenus poſſibile. Hæc autẽ difficultas contra concluſionẽ pro B. Virgine in quæſtione de facto à nobis certam. 2. ſtatuendum, directo militat: quare opportunius ibi tractanda, & expedienda à nobis erit. Secunda difficultas. Quia, etſi auxilia vni rationali creaturæ ad orandum, merendumque auxilia omnia intrinſeca, ac de reliquo prædeſtinationem alterius, à Deo ſolo prorſus liberaliter, ex ſeque, vel ex Chriſti etiam meritis donentur: ex auxilio illi vni collato, vt pro altero mereatur, & oret, huius alterius videtur prædeſtinatio inchoanda: cum indeeius ad gloriam infallibiliter conſequendam, atque ex ſcientia media prædeſtinationis, ac præuiſionis de auxiliis reliquis à Deo futuræ ſi vni illi auxilium donetur, vt pro hoc altero mereatur, & oret, atque ex intentione ſalutis alterius huius prædeſtinandi procul dubio exordiatur. Illud autem auxilium primum, vt vnus ille mereatur, oretque pro altero, ſub eadem illius merita quæ antecedit cadere nequit, vt patet: ſiquidem nequit principium meriti ſub idem meritum venire, vt ſæpe cum communi Theologorum docuimus, & contra inquieti ingenij recentiores paucos demonſtrauimus. Si autem dicas: auxilium illud ad orandum, merendumque pro altero ex anterioribus natura illius vnius meritis eſſe à Deo collata loco difficultatem moues, quam non ſoluis. Siquidem de auxilio illo ad meritum illius vnius, ob quod ei ad orandum, merendum, impetrandumque pro altero auxilia intrinſeca, & efficacia ad ſalutem argumentum idem recurr t: cum ex auxilio illo prima catenata ſeries ineffabilis ordinationis ad gloriam certo ab altero conſequendam incipere eodem argumento monſtretur.

2. Soarius noſter ab hoc argumentum, quod ipſe, vt vidimus q. 5. certam. 1. conſulto contra Vaſquez, inconſulto contra ſe etiam ipſum efformauit, in quæſtione præſente de poſſibili videtur negatiuam partem docturus, aſſerturuſque puram creaturam adæquatam prædeſtinationem alterius, ne potentia quidem abſoluta Dei, poſſe abſolute promereri: quia primum illud auxilium ad orandum, merendumque alteri, vnde huius alterius prædeſtinatio inchoanda neceſſario eſt, promereri abſolute nequit. Id ſiquidem contra meritum Chriſti etiam pro adæquata noſtra prædeſtinatione, tanquam irrefragabile argumentum opponit; tametſi aliunde meritum adæquatæ noſtræ prædeſtinationis, quæ noſtrum beneficium eſt, cum communi Theologorum, & Patrum, atque ſcripturæ, fideique dogmate defendat, nec ſuæ huic impugnationi, cui æque ſubinde, atque alij Theologi ſubiacet, ſolutionem tentauerit, quam tamen nos dedimus quæſt. 5. citat. certam. 2. Arriaga noſter diſputat. 37. ſection. 1. num. 21. §. *dicendum de re.* Affirmatiuam partem tuetur, ac propoſitæ difficultati reſpondet: poſſe dati alteri creaturæ puræ ad auxilium adorandum merendumque alteri auxilia omnia, huic intrinſeca, efficacia à primo ad vltimum, quo perſeuerantia completur, ac ſalus infallibiliter ab hoc altero obtinebitur, quin auxilium illud oranti, ac merenti illi ex intentione ſalutis alterius à Deo donetur: ac proinde, quin ſit prædeſtinationis huius alterius effectus, vnde prædeſtinationis ordo, & catenata ſeries inchoetur: quo facillime fiet vnum ex Dei auxiliante gratia prædeſtinationis alterius, adæquatè etiam ſumptæ, cauſam eſſe abſolute poſſe. Obiicit autem ſibi §. *Dices has ratione*: quemuis prædeſtinationis ſuæ, adæquate etiam ſumptæ cauſam eſſe abſolutè eo modo poſſe: admittit plane conſequentiam, vt neceſſariam quæ ſanè eo modo aſſerta longe à ſemipelagianiſmo abeſt, nullique abſurdo Theologico patet. Cenſet igitur auxilium efficax ex ſcientia media operationis futuræ, & conſecutionis ſalutis ſi illud donetur, abſque eius ſalutis intentione operaturo per illud prædeſtinato conferri à Deo ex alio fine poſſe, ac ſubinde non eſſe prædeſtinationis illius effectum: at vero, ſi ex ſalutis eius intentione donetur, non poſſe non illius prædeſtinationis effectum eſſe: ac demum neceſſariam eſſe illationem mutuam inter poſſibilitatem dandi auxilium meriturо alterius prædeſtinationem ad meritum ex quo prædeſtinatio hæc eſt à Deo concipienda, ac non ex intentione ſalutis prædeſtinandi, & poſſibilitatem tribuendi auxilium efficax ex quo obtinenda ineffabiliter eſt meritoria actio, & ſalus prædeſtinando ipſi, non ex eius actionis & ſalutis eius intentione & deſiderio.

3. Dicendum igitur eſt: puram creaturam prædeſtinationis alterius adequatæ cauſam de congruo meritoriam abſolute eſſe poſſe. Eſt concluſio maioris partis Theologorum, qui de ea, vel expreſſe diſputarunt, vel ſuppoſuere, in q. de facto affirmantem concluſionem defendentes noſtrorum Ioannis Præpoſiti citatis q. 23. a. 8. dub. 5. art. 46. verſu, *non ſolum Chriſtus* citati etiam Roderici Arriaga, Arrubalis Ferdinandi Salazar, & aliorum certam. 2. Concluſionibus de facto à nobis ſtatuendis pro quibus ac ſubinde pro hac plures Patres abſolute ſtare ibidem conſtabit. Videtur autem eſſe contra noſtrum Herize ibidem citandum, qui pro negatiua concluſione de facto ratione vtitur, quæ etiam de poſſibili negatiuam videtur ſuadere à nobis tacta num. 1. in prima propoſita difficultate ſed tamen, etſi huic ſuæ rationi obnoxius pro affirmatiua hac noſtra concluſione ibidem ſtetit. Huius autem concluſionis rationes ab Arriaga datæ non placent. Nam primum illud, quod ex ſcientia media conſenſus, & ſalutis per illud conſequendæ abſque huius intentione dari alicui auxilium efficax poſſit, eſt impoſſibile: cum ſcientiæ conditionatæ euẽtus ſub aliquo medio directio, & vſus ad eligendum medium illud, non niſi ex intentione euentus illius eſſe poſſit: ad alios quippe fines intentos ſcientia media impertinens eſt, ac ſubinde electionem medij illius ad eos obtinendos dirigere repugnat. Diſplicet ſecundum, non poſſe, ſcilicet medium habiturum effectum ex intentione effectus, ſeu finis obtinendi à Deo donari, quin ſit effectus prædeſtinationis. Si enim ex intentione inefficaci vera, ac ſeria, atque ex ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ directione, quæ ſufficit, vt medium ex inefficaci finis intentione donetur, ( vt plane poteſt donari, quia ad illum finem conducens, & q. 5. certam. 2. vidimus) ex prædeſtinatione nõ dabitur, quæ neceſſario ſciẽtiæ mediæ directionẽ requirit: quare neq; erit prędeſtinationis effectus.

4. Tertium de neceſſaria illatione mutua à poſſibilitate donandi auxilium efficax merituro ad meritum, ex quo certo prædeſtinabitur alter; ac non ex intentione ſalutis huius eo merito prædeſtinandi, ſed ex fine alio, ad poſſibilitatem donandi auxilium efficax & congruum ad conſenſum, & ſalutem à prædeſtinato obtinendam per illum, non ex conſenſus, & ſalutis intentione, ſed ex alio fine non magis placet. Primo: quia omnibus Theologis aduerſatur: quorum nemo hactenus dubitauit prædeſtinationem, eiuſque effectus à primo auxilio efficaci ſeu congrua vocatione prædeſtinato collata inchoari: immò id omnes, vt certum ſupponunt, ac proinde ex intentione ſalutis eorum à Deo donari; errarent autem in ea ſuppoſitione omnes, ſi non ex ea intentione, ſed ex alia auxilium & vocatio congrua donari prædeſtinato à Deo poſſet: tunc enim ex prædeſtinationé ad ſalutem minime donaretur, vt patet. Fateor tamen non ita facilem, neque in terminis, vt aiunt, obſeruatam hactenus fuiſſe rationem diſparitatis. Eſſe autem ea videtur. quod congrua vocatio, & auxiliũ efficax ad cõſenſum de ſe, naturaque, & eſſentia ſua ad illum obtinendum ordinetur, nulliq; alteri finis ſpeciali, nec fines omnes tranſcendenti, poſſit inſeruire: ac proinde, neque ex alio fine ſpeciali, & nõ trãſcendẽte poſſit, ſecũdũ conducentiã quã habet, ſiue ad poſſe ſiue ad actuale eſſe finis illius à Deo eligi, & apponi: vnde fit notitiã nõ ſolum ſimplicis intelligentiæ de conducentia, ſed, & mediam de effectu, ſeu cõſenſu & ſalute quæ futura erit, ſi donetur à Deo expectandã eſſe, vt à Deo donetur, atque ex huius etiam directione eligatur ne quis ex Deo inopinatis bene operetur, & de ſe, quaſi furtiuo, ſalutẽ pręripiat; cũ autẽ alterius alteri auxilia gratiæ & prædeſtinationẽ merituri, & exiſtentia & merita ſpeciali, nec ſolum trãſcendentali fini poſſint abſolute inſeruire, tam hæc, quã auxilia ad meritũ, ex quo alter auxiliũ efficax, vtinã etiã cõſenſus, & ſalutis, demum effectum habituri ex alio fine, & ſcientia eligi à Deo poſſit, & apponi, id quod ſi meritum ex quo auxilium illud alteri obtinendum à Deo eſt oratio pro illo nõ ſit

vt de Chriſti meritis diximus apertius faciliuſq; perceptu eſt:imo etſi oratio pro illo ſit cum meriti proprij orantis, & conſecutionis amplioris gloriæ per illud ratio obiici ab oratione nequeat,vt ſoli fini obtinendi alteri auxilium deſeruire de ſe oratio illa poſſit.vnde conſtat quo iure dixerimus certam. 2. etiam ex intentione inefficaci ſalutis hominum potuiſſe Deum de Redempore & auxiliis ad merita quibus omnis prædeſtinatæ creaturæ extitura prædeſtinatio erat prouidiſſe ex ſola ſimplicis intelligentiæ non autem ſciẽtiæ mediæ directione, id enim totum liberum Deo eſt cum multis aliis ſpecialibus finibus Chriſtus eiuſque merita inſeruire apta ſint. Dixi autem *Specialibus finibus non tranſcendentibus*. Vt obiectiones ex fine gloriæ Dei, & exercendæ ſuæ libertatis præoccuparem. Sunt enim fines tranſcendentes omnem lectionem , & operationem Dei ad extra ex quouis ſpeciali fine eligat , ac operetur ad extra Deus.

Et proximè dictis probatur facilè concluſio.Quia omnis effectus prædeſtinationis ad gloriam alicuius debet eſſe appoſitus ex intentione ſalutis , & electione directa per ſcientiam mediam de ſalute per effectum illum infallibiliter, certoque conſequenda:atqui auxilia data alicui puræ creaturæ ad merendum alij auxilia ipſi intrinſeca , & certo,infallibiliterq; coniungẽda cum gloria poſſunt eligi, conferrique à Deo , neque ex intentione ſalutis ipſius inefficaci ( ex quo ſolummodo ſalua vtriuſque libertate poſſunt,vt ſæpe oſtendimus) à Deo eligantur,& apponantur:ergo poſſunt non eſſe effectus prædeſtinationis.Tunc autem effectus prædeſtinationis ab auxilio primo intrinſeco prædeſtinati alterius incipient atque prædeſtinatio inchoabitur. Atqui hoc poteſt abſolutè vnius mereri alteri de congruo, vt aduerſarij etiam fatentur:ergo & initium prædeſtinationis. De eo verò ſolum difficultas erat, vt adæquatè ſumptam prædeſtinationem & ſecundum omnes eius effectus vnus alteri promereri de congruo abſolute poſſet,vt ex aduerſariorum ratione claret.Dices. Prædeſtinatio adæquatè ſumpta plura alia auxilia efficacia prædeſtinatio illi continet, vltra primum : ergo ex eo, quod primum illud abſolute pura creatura alteri poſſit mereri de congruo,poſſe illi de congruo adæquatè, & ſecundum omnes ſuos effectus ſumptam prædeſtinationem perperam infertur.Reſpondetur meritum congruum præmio ad amuſſim minime reſpondere , vnde & ſuſcipere magis , minuſque congruitatis reſpectu præmij , maximè finiti poſſe meritum etiam idem:ac proinde meritum idẽ reſpectu vnius auxilij congruentius quam reſpectu plurium fore:aſt non amittere reſpectu horum ſimul abſolute congruitatem:ad eam enim ſatis eſt ad illa elargienda anſam,& occaſionem eſſe abſolute poſſe,vt Patres cõtra ſemipelagianos ſupra dicebant , inde etiam rationem gratiæ euerti. Secundo : cum merita perfectiora elici ex gratiæ auxilio à pura creatura abſolute poſſint,ad maius, & maius præmium congruitas meriti in operibus perfectioribus ipſius poterit abſolute reperiri.Pone ergo opus, cuius congruitas meritiua vnum tantum auxilium efficax alterius pertingat:perfectius, & perfectius ipſius opus merito æque congruo plura,& plura in præmium pertinget. Denique Deiparæ merita à Deo excellentia conſidera: quę , ſicut de Matris Dei dignitate Theologi docent, infinitatis meriti fere premunt veſtigia : & in eis cum abſolute puræ creaturæ ſint , non ſolum ita obiicere , ſed vel obgannire concluſioni erubeſces.

## CERTAMEN II.

### *Definitur quæſtio de facto.*

IN quæſtione de facto negat Soar. ſupra puram illam creaturam cauſam prædeſtinationis creaturæ alterius extitiſſe,atque affirmantem ſententiam ſingularitatis notat conſentit Soarij concluſioni Arriaga vbi proxime num.23. §.*Dico tertiò*, etſi non conſenſerit cenſuræ conſenſi,& Herize diſp.29.num.50.concluſioni ſolum, ex diuerſo tamen fundamento. Duo primi eo fundamento à ratione nituntur. quod prædeſtinati omnes ſimul,&pro ſigno naturæ eodem ante omnia merita electi efficaciter ad gloriam, ſiue intentione, vel ordine intentionis prædeſtinati,cuius proinde, & prædeſtinationis anterioris ad merita omnia nullum meritum cauſa eſſe poteſt ; tametſi in mediis,& gloria exequendis , ſiue ordine executionis locum merita vnius ad alterum prædeſtinatum poſſint habere de facto nec ſemel habuerint.Sed fundamentum hoc de electione efficaci , ſiue prædeſtinatione ad gloriam intentiua, ſeu intentionis ordine, ante præuiſa merita implicatorium oſtendimus , eoque reſpectu meritorum prædeſtinati ipſius , ( de quibus ſolum Soario , & aſſeclis cum Vaſquez,& eius diſcipulis quæſtio ibi fuerat) non ſtatim de meritis alterius à prædeſtinato idem dicendum eſſe legitima conſequentia deducitur. Neque omnium prædeſtinationem;ſeu electionem efficacem ad gloriam ordine intentionis ante præuiſa cuiuſque prædeſtinandi ad ſui electionem , & prædeſtinationem merita ad idem naturæ ſignum pertinere fundamentum habet vllum: cum nec coniunctæ natura ſua omnes illæ prædeſtinatorum electiones ſint , nec aliquod afferatur ex ſcriptura Patribus aut ſtato aut communi Theologorum ſenſu expreſſo, aut ex aliquo apud eoſdem recepto principio deductum.Soarius ſpecialiter arguit, quia ex auxiliante gratia pro meituro data ad merendum alteri auxilia , quibus rectè operetur, & gloriam conſequatur prædeſtinationis effectus ac ſubinde prædeſtinatio inchoetur, quæ tamen ſub meritum quod ex illis procedit cadere nequeunt. Sed & hoc diſſectum ſatis eſt certam. 1.arguit ex Gregor.magno 1.dialog. c.8.ſcribente : *quia ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio,ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi ſ labore perueniant, quatenus poſtulãdo mereãtur,* exorãdo *accipere, quod eis Deus ante ſæcula dare diſpoſuit.* Sed cum hæc de meritis propriis prædeſtinati ſint extra rem afferuntur. Producit proſperum etiam ſecundo de vocat.gent. cap.vlt. vel penult. aientem : per electionem Dei ſtudium orationis , & ſollicitudinis etiam alieno vt orationis Tobiæ pro vxoris à dæmone libertate exemplo oſtendit) deſerendam non eſſe:*cum implenda voluntatis Dei* ( executiue nimirum) *ita ſit præordinatus effectus.* Cæterum, ſi executioni inſeruire dicat , vt nos etiam fatemur , electioni,ſeu prædeſtinationi ad gloriam ex inefficaci ſalutis intentione ortæ inſeruire non negat Proſper ; immò expreſſè de orationibus, & operibus prædeſtinati his verbis aſſeruit. *Fruſtra dicitur , quod ratio operandi non ſit in electis, cum ad hoc operantur , vt electi ſint* : quod etiam vult Auguſtinus ab eodem Soario productus ex cap.22. de bono perſeuerantiæ ſcribens. *Si qui ſunt nondum vocati pro eis, vt vocentur oremus:fortaſſe etiam ſic prædeſtinati ſunt , vt noſtris orationibus concedantur.* Eſt enim ſenſus non de executione ſolum , ſed & de electione ad fidem,quæ ex aliorum orationibus concepta eſt,alias forte non concipienda. Et ſane tam hi quam cæteri Patres ſimiliter loquentes nihil de Soariſtico hoc ordine intentionis, & executionis voluntatum efficacium vſquam cogitarũt(quẽ potius,vt ex eorum Principiis cõſtat,tãquã libertati interuenientiũ noſtrorum operũ,& ſubinde meritis infẽſiſſimũ,ſi de eo cogitaſſent reiecisſẽt.ſed de difficultate ab Ethnicis de euerſione libertatis,ſtudiiſq; noſtri in tempore in vtilitate,cum noſtra electio,& prædeſtinatio æternitate in Deo præceſſerit:cui inde apertiſſime ſatisfaciunt quod electio,& prædeſtinatio ipſa,vt æternitate antecederet ex noſtris orationibus,& rectis operationibus, tamẽ tempore poſterioribus,natura pependerit atque naturę ordine fuerit poſterior, vt ſæpe diximus. Aliud argumentum ab abſurdo efformat, quod ſicut & Herize fundamentum peculiare,cõtra concluſionẽ primã obiicimus,ac diluemus.

2. Dico primo:Deipara reliquorum omnium prædeſtinationem adæquate ſumptã, & ſecundũ omnes eius effectus de facto eſt promerita,ſi de prędeſtinatis ex meritis Chriſti iuxta dicta q.1.certam.2.loquamur. Concluſionẽ hanc ex Patrũ eruditione,& ſoliditate æquiualẽtibus terminis fundauit,ac Theologicè illuſtrauit noſter Ferdinãdus Salazar in cap.8.Prou.ad verſ.19.& de concept.cap.21.à num.1.ad 11.in incluſiuè,vt huius numeri fine ( de prædeſtinatis ac redemptis hominibus loquens)improbabile,nec immerito oppoſitã cenſuerit,ac nobis aliquid addendi exemerit facultatem,cui concluſioni,ſi in eius examẽ & definitionem incidiſſet,nec ſolã quæſtionem ne merito vnius ad prædeſtinationem alterius vniuerſim tractaſſet, Mag.meus Diaz cõſẽtiret vt ex concluſ.2. cõſtabit.Et de prædeſtinatis hominib. loquẽdo,probatur primo, quia ex Patrũ Salazar his locis ingenti copia recitatorũ cõmuni,& expreſſa ſententia omnis gratia hominibus poſt peccatũ primorum parentum à Deo præparata,& collata eſt per Mariam, eiuſque meritis,ac

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ta; nec ſolum per merita virginalis eius fætus Chriſti Redemptoris: atqui omnis effectus prædeſtinationis eſt gratia præparata collataque à Deo homini prædeſtinato: ergo omnis effectus prædeſtinationis hominum redemptorum, ac ſubinde prædeſtinatio eorũ omnium adæquate ſumpta per Mariam eiuſque merita habita à Deo fuit confirmatur: quia vſque adeo omnia gratiæ dona meritis Mariæ redemptos homines debere Patres conſtanter aſſerunt, vt etiam originalium omnium ab ipſis contractorũ remiſſionem purgationemque, ac deterſionem eiſdem Mariæ meritis deberi conſtanter etiam iidem Patres expreſſe fateantur: vbi præclara antitheſi malorum omnium ab Eua, & Adamo in poſteros inductorum, eorumque non ad plenum ſolum, ſed ad exuberantiam reparatione, & inductione bonorum gratiæ in eoſdem per Mariæ rem ponderant & illuſtrant Iræneus, Tertulian. Epipham. Auguſt. Petrus Damiã. Ildephonſ. Bernard. Cyrill. Alexand. recitati à Salazar, citat. c. 2. num. 8. 9. & 10. aliiſque in eandem ſentent. ab eodem recitati c. anteriori & ad prouerb 8. verſ 19. Probatur ſecundo ex Patribus pluribus ad eum verſum ab eodem Salazar productis, quibus inter captos, infenſoſque obinde homines Deo, ac ipſum Deum, huiuſque, & ſuum filium mediatricem reconciliatricem, ac reliquorum redemptricem æqua extenſione, etſi non æqua dignitate, cum Redemptore filio, ac proinde ipſi corredemptricem appellant. Baſil. Seleucian. Epiſc. ſerm. de Incarnat. *Aue, quæ inter Deum, & homines mediatrix intercedens, efficis, vt interiectus inimicitiæ paries tandem aliquando euertatur, terrenaque cœleſtibus coniungantur.* Ephrem de Laud. Virgin. *Aue mundi mediatrix glorioſiſſima: Aue mundi ſalus: Aue vniuerſi terrarum orbis conciliatrix.* Bernard. ſerm. de verb. Apocalyp. *fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Illa enim (Eua) miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis: illa ſuggeſſit præuaricationem; hæc iniecit redemptionem.* Multus etiam in hanc ſententiam eſt Anſelmus de excell. Virg. cap. 9. & 11. Arnold. Carnotenſ. tract. de laudib. Virgini. *Stabat iuxta crucem Maria, non minor, quam matrem Dei decebat: fortaſſe, quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi etiam ſua ipſa morte, cuius acerbitatem in talis, tantique filij morte patiebatur, ſe aliquid æſtimabat publico Redemptionis vniuerſi muneri addituram.* Quaſi id non addere de ſuo, & adiungere Dei Filij ac Redemptoris matrem dedeceret, id enim illa Arnoldi verba valent. *non minor, quàm Matrem Dei decebat*, in quam ſententiam plura Arnoldus tract. illo.

3 Sed luculentius idem ipſe tract. de verb. illis. *Mulier ecce Filius tuus.* Corredemptionis vniuerſi Marianæ cum filio rem totam, & modum pluribus, ſed his præſertim ediſſerit. *Nimirum in tabernaculo illo* (Caluariæ, & crucis) *duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti. Chriſtus carnem, Maria immolabat animam: optabat vero ipſa ad ſanguinem animæ, & carni, ſuæ addere ſanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium. Sed hoc ſolius Summi Sacerdotis priuilegium erat, vt de ſanguine munus intra ſancta inferret: cooperabatur tamen plurimum ſecundum modum ſuum ad propitiandum Deum.* Vtique cum Deo Filio ſuo etiam offenſo mediando, ſcite enim S Bernard. ſermon. citat. *Iam vtique neque ipſa mulier benedicta inter mulieres videbitur otioſa: inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus enim eſt mediatore ad mediatorem iſtum: nec alter nobis vtilior, quam Maria.* Eius vero mediatione offenſi Dei Filij voluntas humana inclinata, ita Patris, & ſuam voluntatem Diuinam placare hominibus perrexit, continuò ſubdit Arnoldus: *cum, tam propria, quam matris vota charitas Chriſti perferret ad Patrem: cum quod mater peteret, Filius approbaret. Pater donaret, diligebat Pater Filium, & Filius Patrem, Mater vero poſt vtrumque ardebat: vnumque erat, quod diuerſa exhibebãt officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quo Mater ſancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio ſimulque ſe complectebantur pietas, charitas, & bonitas, Matre ſupplicante, filio interpellente, te Patre propitiante Filius ad pectus Matris, & vbera, Pater ad Filij crucem, & vulnera, reſpiciebat: & quid inter hac tanta pignora nõ mouerẽt?* Indigẽtiæ igitur noſtræ, & ſuæ pietaits conſcia, nec myſterij redemptionis per Filium ignara, non ſolum illum, qua hominem ad eam peragendam, hortabatur, precibuſque vrgebat, ſed tam his, quam animæ immolatione ſuæ incruenta, in Filij morte, & cruentæ pro hominum reconciliatione, & reparatione ardentiſſimis votis, & Filium, qua Deum, & Patrem, mediatrix placebat, ac ſe filij redemptione præ charitate, & miſericordia inſerebat, eiuſque interuentione expectata, & à Filio peracta eſt, & à Patre acceptata; cui etiam in Filij, cõmunis vtriq; pro nobis ad mortem oblatione, quaſi ex condicto Deiparam communicaſſe aureis hiſce verbis docuit Bernardus tom. 1. ſermon. 51. c. 4. *O mira circa nos vtriuſque parentis I. C. pietatis dignitas! ô inæſtimabilis Dei, & Virginis dilectio charitatis! qui, vt ſeruum redimerent, communem Filium tradiderunt propter nimiam charitatem, qua Deus, & Virgo nos miſeros peccatores dilexerunt*: ita etiam cenſent Patres plures apud Salazar in cap. 8. prouerbior. verſ. 15. Nec puto Filium à patre, niſi ex Matris, cuius tanti Filius iure ipſo referebat, conſenſu voluntateque concordi in mortem pro reliquorum redemptione tradendum: id enim tantæ Matris dignitatem decebat. Hæc porro pro merito Virginis de facto gratiæ omnis redemptionis cuiuſmodi effectus omnis prædeſtinationis reliquorum à Virgine ipſa hominum ſunt) aperte faciunt, & ab authoritate rem euincunt: ac ſubinde reliquorum omnium hominum prædeſtinationes adæquatè ſumptas meritis Deiparæ deberi. maxime, cum redemptionis gratia omnis ex meritis Chriſti, non, niſi morte ipſius conſummatis, fuerit quàm vt proxime ex Bernardo recitata, atque aliis citatis Patribus & ratione ſubiuncta pene infiniti meriti conſenſus, & Filij in mortem pro omnibus oblatio natura anteiuit.

4. Cæterũ cum concluſio de omnibus ex meritis Chriſti prædeſtinatis fuerit, atque Angelos omnes præter paucos protoparentum, vel cuſtodes, vel tentatores ex meritis Chr. adæquate prædeſtinatos dixerimus q. 5. certam 2. nihilq; de Virgin. merito dignitatis reſpectu gratiæ Angelorũ, quorũ nemo redemptus recõciliatuſq; Deo fuit præfata teſtimonia aſſerant; immo de gratia prima cum auxiliante, tum iuſtificante nullum ſit Patrum teſtimonium, difficileque admodum pluribus Theologis ex Chriſti (nedum Deiparæ) meritis fuiſſe, non videtur ad plenum probata concluſio, nec facilis probatu. Accedit gratiam Angelorum nullam gratiam redemptionis fuiſſe: ac proinde neque ex meritis Chriſti realiter formaliter morte conſummari: vnde anteceſſionis meritorum Virginis ad Filij mortem, & meritorum eius conſummationem, vt pro poſteriori gratiæ Angelis donarentur, argumentum præfatis teſtimoniis contentum, & ad rem præcipuum reſpectu gratiæ Angelorum vim non habet. Sed vero, cum Patres de gratia ſolum redemptionis ibi egerint, mirum non eſt nihil in eis pro gratia, & prædeſtinatione Angelorum de qua etiam concluſio noſtra eſt nobis eſſe præſidij. Eſt autem iuratione Theologica vniuerſali pro omnibus non parum. Etenim, quemadmodum de Chriſto Domino dicebamus, de ipſius etiam Matre Theologi ſtatuunt proportione ſeruata: quidquid honoris, gloriæque per ſcripturam, fidei, & ſtata Theologiæ dogmata liceat, ac Deiparam eiuſque merita deceat, concedendum ipſis de facto in bona Theologia eſt: atqui Virgini, eiuſque meritis gratiam omnem, atque prædeſtinationem ſubinde adæquatam reliquorum ab ipſa hominum, & Angelorum præfatorum, deberi per ſcripturam, fidei, ac Theologiæ ſtata dogmata licet, Deiparamque decet, atque ipſi eſt glorioſiſſimum: ergo de facto eſt in bona Theologia admittendum de ſcriptura conſtat minor: cum potius plura in ea ſint, quibus, etſi non efficaciter, anſula ſaltem huius concluſionis præbeatur, & fidei dogmata potius eidem concluſioni fauent: cum Patres abſolute gratiam omnem Mariæ, eiuſque meritis deberi affirment, nulla Angelorum, hominumque diſtinctione, aut limitatione adiecta: atque Eccleſia *Matrem gratiæ* indefinitè, ac proinde vniuerſaliter appellet. Neque vllum Theologicum dogma contradicit: cum puram creaturam (nec tantæ, atque Maria eſt dignitatis) alteri adæquatè prædeſtinationem promereri abſolute teſte ſtatuerimus Theologorum auctoritate, & ratione: & inſuper nullis puri hominis aut Angeli ex enumeratis, gratia aut meritum abſolutam Mariæ, & meritorum eius exiſtentiam anteceſſerit, vt inde repugnantia Theologica poſſit tentari

Sed expedienda tamen veniunt oppoſita à Soario, & Herize qui obiicit: puros omnes homines ſimul, & pro eodẽ ſigno fuiſſe prædeſtinatos, falſum tamen eſt, ac fere bonæ Theologiæ improbabile, ſi non excipiatur Deipara, quam ex prædeſtinatis per eius filium primogenita eius filia, atque ante reliquos naturæ ordine prædeſtinatam, vt docte Soar. t. 2. ii. 3. p. d. 3. ſect. 5. verſ. finem verſu *dici poteſt*, fol. mihi 38. col. 1. Quia primaria intentione matris præſeruatiue redimendæ Chriſtus aduenit: ex quo pro naturæ priori ad reliquos prædeſtinatam ex Chriſti meritis fuiſſe, in eius etiam ſententia de electione efficaci, & prædeſtinatione ad gloriam ante præuiſa merita prædeſtinati, conſequens eſt. Et quidem non omnes ſimul natura prædeſtinatos à Deo fuiſſe inde rectè cenſet Arrubal diſput. 80. cap. 2. Quod plurium conceptio, & exiſtentia abſoluta (quæ abs dubio eorum prædeſtinationi vt vidimus ſupponitur) Sanctorum aliorum, ac præſertim, & frequentius Mariæ meritis, ac precibus debeatur: qua ratione Arriaga ſupra in opinione, quæ electionem efficacem ad gloriam, nec præſuppoſitiue, nec conſtitutiue ad prædeſtinationem requirit, certum eſſe docet; licet electione efficaci ad prædeſtinationem alterutro modo requiſita male oppoſitum cenſeat. Obiicit ſecundo Herize, ad Chriſti dignitatem, & decentiam ſpectare, vt eis primum poſitis nullius alterius merita ad negotium prædeſtinationis reliquorum expectentur. Nihil contra concluſionem probat obiectio, cum ex Patribus viderimus, ſimul, & pro eodem ſigno motionis voluntatis Diuinæ, & Matris, & Filij merita ad reliquorum redemptionem concurriſſe: vnde Chriſti merita nihil poſteriorum meritorum Virginis expectarunt, ad in eorum conſortio Deum, vbi primum extitere, ſed reliquorum prædeſtinationem mouerunt, & vniuerſim vlterius aliquid pro poſteriori naturæ ex Dei voluntate expectari non ex ipſorum intrinſeca curtitate, dignitati Chriſti, ac meritorum eius infinitati non derogat. Ita enim phyſica eius mors natura meritis poſterior expectata eſt, vt in noſtra redemptione, & prædeſtinatione præmiarentur. Et quamuis è dignitate vnionis omnia humanitati Chriſti collata dona deberentur ad pleraque tamen & præcipua conferenda merita Chriſti poſterius natura expectata à Deo ſunt, quia glorioſius eis expectatis conferrentur. An non & ipſi glorioſius merita etiam Virginis expectari, vt Mater, cuius honor in filium redundat, corredemptricis, & gratiarum omnium Matris gloria afficeretur? obiicit Soarius. Ergo Sancti potuerunt mereri de congruo prædeſtinationem, & ſubſtantiam incarnationis, maxime Deipara, & alij Chriſti Progenitores, qui, vt ex ipſis propagaretur ſunt promeriti. Negatur conſequentia, quæ nec fuſiorem ſolutionem meretur: cum omnium ſententia Chriſti abſoluta exiſtentia, ac proinde ſubſtantia incarnationis, & prædeſtinatio omnem omnium prædeſtinatorum gratiam, ac meritum natura abſolutè anteceſſerit: à merito vero progenitorum, vt tales eſſe ex Chriſti gratia mererentur, ad meritum prædeſtinationis, & ſubſtantiæ incarnationis, & mala conſequentia eſt, & ad rem præſentem impertinens.

Dico ſecundo: etſi Sancti alij aliis prædeſtinationem adæquatam promoueri abſolute poſſint, vt diximus, nemo tamen alterius prædeſtinationem adæquate ſumptam de facto meruit. Conſentio Herize Arriagæ, & magno meo magiſtro Dazæ. Non tamen priorum rationibus; ſed quia nimirum gratia auxilians alteri ad alterius prædeſtinati gratiam intrinſecam, primam etiam, promerendam effectus primus prædeſtinationis eſt ex intẽtione, & ſciẽtia media ſalutis conſequendæ ab illo alteri donata: cum meritis Chriſti, & Marię mediatricis, corredẽptricisq; ſatis placitus Deus fuerit ad omnium, & ſingulorum prædeſtinationem concipiendam, nec oporteat alterius merita expectari, vt omni conducentia ad ſalutem cuiuſque à Deo apponantur & amentur: immo oporteat ad Filij, & Matris gloriam ſingularem non expectari: quod autem Auguſtinus, & Patres allij dicant Eccleſiam & fidem non habituram in Paulum noraſſet Stephanus, huius orationem medium determinatum prædeſtinationis Pauli fuiſſe probat, ſed non eſt poſt quem eius prædeſtinationis effectus cœperint ab auxiliis Paulo intrinſecis.

# DISPVTATIO IV.

## *De effectibus prædeſtinationis.*

CONditiones, vt, ea quæ ad gloriam conſequendam conducunt, conferuntque, effectus prædeſtinationis ſint plures ab aliquibus recenſentur, atque ab aliis negantur. Vnde inter eos non vna, nec breuis ac plerumque otioſa diſputatio inſtituitur: quibus ablegandis ſola definitio prædeſtinationis ſatis eſſet, ſi attenderetur. Quidquid enim beneficij Dei non conducentis ſolum, ſed coniungendi de facto cum ſalute æterna cuiuſuis ex huius intentione vltra naturæ debitum prædeſtinatis obuenerit ex præſcientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus ille certiſſimè liberabitur, ac ſubinde ex eius prædeſtinatione prouenit, quare & prædeſtinationis ipſius effectum eſſe citra dubiũ eſt. Hinc quæſtio illa, An, vt prædeſtinationis effectus Dei gratia, & beneficium naturæ aliquo modo indebitum, & cum gloria cõiungendũ ſit, ex meritis Chriſti eſſe debeat ablegãda eſt: id enim examen alterius loci eſt: an ſcilicet gratia omnis, modo quouis, ſupernaturalis non ſolum ad gloriam producens de facto, ſed abſolute conducens meritis Chriſti debeatur? Quod ad controuerſiam de gratia pertinet directo. Ad præſens autem, quidquid de eo aſſeratur, vel negetur, ſi Dei aliquo modo ſupernaturale beneficium alicui collatum, & cum eius gloria coniungendum deprehẽdatur, effectum prædeſtinationis ipſius habendum eſſe extra dubium eſt. Quænam vero horum tam in hominibus, quam in Angelis prædeſtinatis meritis Chriſti debeantur diſput. 3. q. 5. vbi: an & quibus adæquatam, ſeu in adæquatam prædeſtinationem Chriſtus fuerit promeritus ſtatuimus. Ex quo effectus prædeſtinationis & Angelorũ, & hominum, qui ex meritis Chriſti fuerint qui etiam non fuerint abſque alio examine, & diſputatione facile à quouis dignoſcẽtur. Quæ igitur præſenti diſputationi ſubſint ea omnino ſunt. Primum, an naturalia prædeſtinati, etiam ipſius ſubſtantia, & exiſtẽtia, effectus prædeſtinationis ſint. Secũdo de ſupernaturalibus, boniſq; operibus, & extrinſecis aliis. Tertium an gratia, & merita peccato prædeſtinati interrupta, vt primo etiam collata, & exiſtentia, in prædeſtinationis effectis debeant, recenſeri? an etiam in eis peccatis permiſſio debeat numerari?

# QVÆSTIO I.

## *An naturalia prædeſtinati bona effectuſque prædeſtinationis ſint.*

IN naturalibus prædeſtinati bonis de quibus nunc intrinſeca ipſi bona à Deo collata omnia continentur, Et primo ipſius ſubſtantia, & entitatiua exiſtentia abſoluta, ſiue eius eſſentiæ, & ſubſtantiæ identificata, ſiue, ipſi ſuperaddita vt recentiores Thomiſtæ Dominicani contendunt. parui enim ad rem hanc refert altervtro modo opineris. Secundo ſubſtantiæ illius paſſiones ſeu affectiones, vt bona indoles geniũ, & bona inclinatio ad bonum & honeſtum; quam ad inhoneſtum, & turpe propenſior. Hæc nonnulli animi dotes phyſice ipſis ſupera dditas eſſe volunt. Ego vero ſimilius longe organorum corporis, quibus anima ipſi immerſa ad ſuas vtitur functiones, eſſe reputo: nuſquam enim potentias vitales animo ipſi phyſice ſuperadditas ab eoque diuerſas recognoſco, immo eiuſmodi potentias ab animo diuerſas phyſice, & ſuperadditas repugnare non admodum ſegniter oſtendi controu. de anima, diſput. de ipſius potentiis. Cæterum alterutra opinio ſententiæ de hac referendæ intererit parui, cum in mea etiam ſententia bona indoles, geniumque aliquid vltra ſubſtantiam homiais prædeſtinati phyſicè addat, tameſi id non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN